POLYMATHIA SEU AD MULTIPLICEM SCIENTIARUM NOTITIAM BREVIS METHODUS, &...

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
8 D
8

M X

14-19. d. 2.

Google

Digitized by Google

Digitized by Google

POLYMATHIÆ

SEU

Ad Multiplicem Scientiarum Notitiam
Brevis Methodus, & Accurata

QUAM

EXCELLENTISSIMO PRINCIPI, AC DOMINO

D. BALTHASSARI
ODESCALCHIO
CERITUM DUCI
SAC. CÆS. IMP. MA. CUBICULARIO
REG. ORD. S. STEPHANI
IN HUNGARIA COMMENDATARIO

FRANCISCUS ROBERTI
O. D.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMÆ MDCCLXXXIII.

Ex Typographia Archangeli Casaletti
in Ædibus Maximi.
SUPERIORUM PERMISSU.

Est Conventus Iesu Mariae de Urb

Digitized by Google

Digitized by Google

Excellentiſſime Princeps, ac Domine.

ADeo ſolemnis eſt ætate hac noſtra eorum, qui opus aliquod litterarium typis committunt conſuetudo Patronum ſibi aliquem Dignitate, & Fama conſpicuum adſciſcendi, quo veluti clypeo ad obtrectantium tela obarmentur, & operi pretium concilient, ac vitæ diuturnitatem, ut qui ſecus faxint, niſi per ſe ipſi Clariſſimi ſint ac ſpectatiſſimi, vereantur, (quæ tempo-

rum calamitas eſt) ne uix in ſcenam producti ſcenica dicacitate inceſſantur, & ſalutata vix luce oblivionis non ſemper meritæ, tenebris obvoluantur, Id ærumnæ ſi cui umquam Scriptori, mihi multo timendum magis, ſi meas haſce lucubratiunculas uulgare auſim nullius Mæcenatis nomine communitas; Neque enim adeo luſcus ſum, quin plane videam quantulam in quanta doctiſſimorum omne genus voluminum copia poſſint & ſibi, & mihi laudem polliceri. Ades igitur trepido, ac de me valde ſollicito, ades, inquam, in tempore, Balthaſſar Princeps opibus, genere, virtute, amœnioribus æque litteris, ac ſeverioribus ſpectatiſſime, cuius ego Patrocinium laboribus hiſce meis non tam imploravi ſupplex, quam felix nactus ſum, atque expertus: Vix enim ad aures perlatum eſt tuas votorum meorum ſummam eſſe, ut vulgandas a me Diſquiſitiones nonnullas in adoleſcentium ſtudioſorum gratiam conſcri-

Digitized by Google

billatas tuo nomini, ac tibi nuncuparem, quum pro eo, quo pulchre inflammaris ſtudio litteras ac litterarum cupidos promovendi (cuius rei argumento præ cæteris luculentiſſimo eſt Nobilis Occultorum Academia, quam in ædibus ipſe tuis ad fovendam, acuendamque doctorum hominum ſolertiam, atque induſtriam celebras, nec honeſtas modo præſentia, quam exemplo præluces) vix inquam ad aures perlatum eſt tuas, quod maxime optabam, quum & votis benigniſſime annuiſti, & me demiſſe accedentem humaniſſime, quod ſingulare, ac proprium tuum eſt, excepiſti, & probari tibi non mediocriter laborem meum, atque operam ſignificaſti; quo factum eſt, ut eſſe iam aliquid tuo me iudicio putarem, qui tenuitatis adhuc meæ cancellis detentus, ac veluti incluſus, meque, & mea proferre in lucem vix auſim. Tantam igitur humanitatem in tanta Generis amplitudine, & quod caput eſt Diſciplinarum cognitione demiratus

Digitized by Google

tus primum (hoc enim primum maximis rebus officium iure debetur), dein auſibus meis conciliare conatus ſum. Conatus autem? immo vero vix affari, rogare vix opus fuit; ut opellam hanc meam tuo nomine honeſtares, tuo auſpicio foveres, atque elegantioribus etiam typis dignam exiſtimares. Video quidem, Balthaſſar Princeps ampliſſime, quam periculoſæ plenum opus aleæ ſubeam qui tam multiplicem diſciplinarum varietatem, ac doctrinarum tam anguſtis operis huiuſce mei finibus veluti Oceanum anguſto ſinu velim circumſcribere; verum & in tyronum gratiam ſcribenti, & aliorum Scriptorum exempla Doctiſſimorum inſiſtenti dabitur facile venia, præſertim ſi tanti Viri, ac Mæcenatis tam acris iudicii non ſolum approbatio, ſed & numen acceſſerit. Eius enim Viri iudicium acceſſerit, qui quo laudandus magis hoc laudum eſt negligentior, qui, quum rideant omnia circum belliſſime fortunæ bona, ac naturæ

adeo

Digitized by Google

adeo florentiſſimo rerum ſtatu non extol-
litur, ut omnia infra ſe poſita cenſeat, præ-
ter virtutem, ac bonarum artium poſſeſſio-
nem; qui pro ſe illud uſurpare merito poſ-
ſit, quod apud Poetam Ulyſſes cum Aiace
de Achilleis armis contendente (1) *Nam ge-
nus, & proavos, & quæ non fecimus ipſi, vix
ea noſtra voco.* Atque hoc illud in cauſſa
eſt Princeps Ampliſſime, cur de Gentis tuæ
præſtantia, deque Maioribus tuis tota paſ-
ſim Europa domi, bellique Clariſſimis, de
Magiſtratibus, de Legationibus, de gratia
apud Reges, ac Cæſares, de Syrmii Princi-
patu, de Equeſtrium ordinum inſignibus
conſulto hic dicere abſtinuerim: Primum
enim malui ſilere prorſus, quam pauca di-
cere; neque enim in tam brevi ad dicendum
ſpatio potuiſſem pro rei dignitate longius
excurrere: deinde ea narrarem, quæ norunt
omnes, vel e trivio, tot vulgata linguis, tot
litteris conſignata: denique iſthæc pluribus

(1) Ovidius Metamorph. Lib. XIII.

commemorando ea ipſa de re modeſtiæ tuæ minime gratus accederem, qua benevolentiam conciliare mihi tanti Mæcenatis oportuit. Itaque non te pluribus Princeps Ampliſſime detinebo, ſed imparem omnino tenuitatem meam laudum tuarum magnitudini aperte profeſſus de humanitate in me tua gratias ago, habeoque immortales, illud a Bonis Superis enixe rogans, ut diutiſſime Te incolumem, florentemque ſervatum velint ad Nobiliſſimæ Gentis tuæ, ad Urbis, ad Orbis præſertim Litterarii fælicitatem, ac decus. Vale.

IM-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Rmo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro,

Franciscus Antonius Marcucci ab I. C. Patr. Conſtant. Vicesg.

APPROBATIO

POlimathiæ Pars Secunda, quam Iuſſu Rmi P. Mamacchi S. P. A. Magiſtri lubentiſſime perlegi: eſt illa quidem ut ſpondet Cl. Author, brevi, & accurata Methodo digeſta, ſed quæ complectitur, omnia ſunt inſimul apprime utilia, & Studioſæ Iuventuti propemodum neceſſaria: Plana hic ſternitur via tuto dignoſcendi, quæ Spiſſis alioquin obvolvuntur tenebris, veriſimiliora Vetuſtatis Monumenta. Dignam propterea arbitror, ut prælo ſubjiciatur, & publici Juris fiat.

Dabam in Conventu Ieſu Mariæ De Urbe Die 1. Auguſti 1783.

Fr. Dominicus Nicolaus Auguſtinenſis Excalc. Sac. Indicis Cong. Conſultor.

QUæ in ſecundo volumine ſuo, cui titulus eſt *Polymathiæ, ſeu ad multiplicem ſcientiarum notitiam brevis Methodus & accurata* Cl. Auctor proſe-

qui-

quitur, non modo ad veras orthodoxæ fidei, morumque regulas exactas pleniſſime ſunt; ſed omnia etiam eleganter, copioſe, ſolide tractata conſpiciuntur. Itaque publica typorum luce, ſi quorum intereſt videbitur, digniſſimum cenſeo.

Dat. Romæ Id. Decembris 1783.

Bernardinus Famiani.

IMPRIMATUR,

Fr. Thomas Maria Mammachi Ordinis Præd. Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

AMI-

AMICO LECTORI.

EN tibi Candide Lector Polymathiæ noſtræ Partem alteram quæ Leges Hiſtoriæ, nec non Hiſtoricorum celebriorum iudicium habet fortaſſe non improbandum: Illud ſiquidem hic retulimus, quod & Sapientiores Critici, & doctorum hominum cœtus de ipſis ſenſerunt, quod ſane noſtris firmavimus obſervationibus; in iis tamen non exactam omnino chronologiam qua ſcilicet floruerunt ætate obſervavimus, alterum alteri præpoſuimus, operum potius rationem habentes, quam Auctorum: Hiſtoricis porro addere viſum eſt Antiquorum Numiſmatum notitiam quippe quam ad hiſtoriam illuſtrandum, rerumque veritatem aſſequendam plurimum predeſſe cognovimus. Ego tandem auream Auguſtini ſententiam huc in rem meam candide Lector derivabo: Ego, *inquit ille*, (1) fateor me ex eorum numero eſſe conari, qui proficiendo ſcribunt, & ſcribendo proficiunt: unde ſi aliquid vel incautius, vel indoctius a me poſitum eſt, quod non ſolum ab aliis, qui videre id poſſunt merito reprehendatur; verum

(1) Epiſt. 243. alias 7. Ad Marcellinum.

Digitized by Google

rum etiam a meipſo, quia & ego ſaltem poſtea videre debeo, ſi proficio : nec mirandum eſt, nec dolendum ; ſed potius ignoſcendum, atque gratulandum, non quia erratum eſt, ſed quia improbatum. *Vale*.

IN.

Digitized by Google

INDEX
Capitum, & Paragraphorum.

CAPUT I.

De Hiſtoria, & Hiſtoricorum dotibus. Pag. 1.

§. I.

Canones proponuntur, quibus Num Hiſtoria ad rerum fidem ſcripta ſit, dignoſci facile poſſit. Pag. 1.

§. II.

De Hiſtoricis. 17.

CAPUT II.

De Veterum Numis. 139.

§. I.

Quid ad Rei Numariæ ſtudium accedenti in anteceſſum neceſſarium ſit? 144.

§. II.

De Numiſmatum Antiquitate, & Præſtantia. 248.

§. III.

§. III.

De Numorum Varietate . 149.

§. IV.

De Numorum Sinceritate ; & Antiquitate . 156.

§. V.

De Ratione interpretandi Inſcriptiones . 166.

§. VI.

De Notis Numiſmatum Chronologicis . 176.

§. VII.

Qui Rariores Numi habentur generatim innuuntur ex tribus Primis Sæculis Romani Imperii . 180.

Notæ Compendiariæ in Latinis Numis occurrentes . 185.

Quam

Digitized by Google

Quam ego in aliorum ſententiis, ac ſcriptis iudicandis mihi ſumpſi libertatem, eamdem ſibi in me ſumant omnes eos oro, atque obteſtor quorum in manus iſta venient. Nam illi promptius me monebunt errantem, quam ego manentes ſequar.

Grotius Proleg. de Iur. Bel; & Pac.

Digitized by Google

POLYMATHIÆ
PARS SECUNDA.

DE peculiaribus facultatibus acturi in præſens, quod anno ſuperiore Parte Prima ſpopondimus, ex iis placet ordiri, quæ & magis delectant, nec altam exigunt aliarum ſcientiarum indaginem, deinceps de aliis.

CAPUT I.

De Hiſtoriæ, & Hiſtoricorum Dotibus.

§. I.

Canones proponuntur, quibus, num Hiſtoria ad rerum fidem ſcripta ſit, dignoſci facile poſſit.

AB Hiſtoriæ Utilitate commendanda libenter abſtineo, quum de ipſa plura dixe-

Digitized by Google

rint Summi Viri (*a*); de Hiſtoricorum potius dotibus, ut Inſtituti noſtri fert ratio, ediſſeram paucis (*b*).

Opti-

(*a*) *Hiſtoria*, inquit Tullius (1). *Teſtis Temporum, Lux veritatis, Vita memoriæ, Magiſtra vitæ, Nuncia vetuſtatis*, *qua voce niſi Oratoris immortalitati commendatur?*

Per Hiſtorias veteres, ait Baſilius Imperator Leoni filio (2) *ire ne recuſa: ibi enim reperies ſine labore, quæ alii cum labore collegerunt: atque illinc hauries & Bonorum virtutes, & Improborum vitia: vitæ humanæ varias mutationes, & rerum in ea converſiones: Mundi huius inſtabilitatem, & Imperiorum præcipites caſus, & ut verbo complectar, malorum facinorum pænas, & bonorum præmia &c.*

De hac erudite, ſapienterque ſcripſerunt David Chritœus (3) Chriſtophorus Pezelius (4), Simon Grinœus (5) Sebaſtianus, Foxius (6) Franciſcus Robertellus (7).

(*b*) Quæ de Hiſtoria, & Hiſtoricis dicemus deinceps de Diariis quoque, Kalendariis, Annalibus, eorumque Auctoribus dicta volumus.

Dia-

(1) Lib. 2. de Orator. §. 9.
(2) Κεφάλαια παραινετικά.
(3) De Lectione Hiſtoriarum recte inſtituenda.
(4) Oratione habita Wirtembergiæ.
(5) Epiſt. de Hiſtor. Utilit.
(6) De Inſtitut. Hiſtor.
(7) De ſcribend. Hiſtor.

Digitized by Google

Optimi Hiſtorici characteres præcipui erunt Diligentia, Prudens Iudicium, & Veracitas. Is igitur qui accuratus fuerit in factis colligendis, ut nihil diligentiæ omiſerit: Prudens in examinandis, ut vera a falſis ſecreverit: Verax in exponendis, ut rem neque auxerit, neque minuerit, profecto fide dignus Hiſtoricus erit habendus. Thucydidem, Poly-

Diarium, ſeu Ephemeris teſte Gellio (1) eſt narratio eorum, quæ ſingulis diebus accidebant, Kalendarium, eorum quæ menſibus ſingulis, Annales rerum præteritarum narratio.

Maximum tamen Annales inter, & Hiſtoriam diſcrimen ſtatuitur apud Gellium (2), quod illi ſcilicet quid factum ſit quoque anno referant: Hæc & rerum cauſſas, & hominum conſilia, aliaque adjuncta exponat.

Fuſius utrumque, & luculentius Tullius de Oratore (3) deſcribit: *Erat enim*, ait (4), *Hiſtoria nihil aliud niſi annalium confectio, cujus rei memoriæque publicæ retinendæ cauſſa ab initio Rerum Romanarum uſque ad P. Mucium Pontificem Maximum res omnes ſingulorum annorum mandabat litteris Pontifex Maximus, efferebatque in album, & proponebat tabulam domi: poteſtas ut eſſet Populo cognoſcendi. Ii qui etiam*

nunc

(1) Noct. Attic. lib. 5. cap. 18.
(2) Ibid.
(3) Lib. 2.
(4) Lib. 2. §. 12.

bium, Dionyſium Halicarnaſſeum his ornatos Dotibus agnoſcunt eruditi (*a*).

Hunc in modum ſuam ſe ſcripſiſſe Hiſtoriam iactitat Tacitus (1) *Veritas*, inquit, *pluribus modis infracta: primum inſcitia Reipublicæ, ut alienæ, mox libidine aſſentandi, aut rurſus odio adverſus dominantes, neutris ve-*

nunc annales maximi nominantur. Hanc ſimilitudinem ſcribendi multi ſecuti ſunt, qui ſine ullis ornamentis monumenta ſolum temporum, hominum, locorum, geſtarumque rerum reliquerunt.

Loquens vero de Hiſtoria (2) *Rerum ratio*, ait, *ordinem temporum deſiderat, Regionum deſcriptionem: vult etiam, quoniam in rebus magnis, memoriaque dignis conſilia primum, deinde acta, poſtea eventus expectantur: & de conſiliis ſignificari, quid Scriptor probet: & in rebus geſtis declarari non ſolum quid actum, aut dictum ſit; ſed etiam quomodo: & quum de eventu dicatur, ut cauſſæ explicentur omnes vel caſus, vel ſapientiæ, vel temeritatis, hominumque ipſorum non ſolum res geſtæ; ſed etiam qui fama, ac nomine excellant, de cuiuſque vita, ac natura. Verborum autem ratio, & genus orationis fuſum, atque tractum, & cum lenitate quadam æquabili profluens ſine hac iudiciali aſperitate, & ſine ſententiarum forenſium aculeis, perſequendum eſt.*

(*a*) Vide quæ ſequenti §. de his referemus fuſius.

(1) Lib. 1. Hiſt.

(2) De Orator. Lib. 2. §. 15.

vera poſteritatis inter infenſos, vel obnoxios, ſed ambitionem Scriptoris facile averſeris, obtrectatio, & livor pronis auribus accipiuntur: quippe adulationi fœdum crimen ſervitutis, malignitati falſa ſpecies libertatis ineſt: Mihi Galba, Otho, Vitellius nec beneficio, nec iniuria cogniti: dignitatem noſtram a Veſpaſiano incohatam, a Tito auctam, a Domitiano longius provectam non abnuerim, ſed incorruptam fidem profeſſis nec amore quiſquam, & ſine odio dicendus eſt.

An autem, quæ tam prolixe pollicetur, plane præſtiterit, videant eruditi, quos inter de Taciti iudicio minime convenit, ut §. ſequenti dicemus.

Zoſimus certe ab his Hiſtoriæ legibus longe diſceſſit, quippe qui odio plusquam Vatiniano Theodoſium Magnum odiſſe videatur, dum illum a voluptate, mollitieque Imperium cœpiſſe refert, Theatris, Circenſibus Ludis, atque magnificis cœnis addictum exhibet, dum ſocordem, nec non Libidini frœna laxantem deſcribit; Quum contra præter Paulinum, & Ambroſium, ex Ethnicis etiam Hiſtoricis Aurelius Victor (1) Themiſtius (2) Sym-

(1) In Theodoſ. (2) Orat. 5.

Symmacus (1) ſummopere eum commendant.

Ut autem de Hiſtorico, quem habet in manibus Criticus noſter ſententiam ferre ſapienter poſſit, præ oculis habeat, quæ hoc loci ſubjicimus.

Canon I. Diligens non erit Hiſtoricus, ſi ea omiſerit, quæ alii Synchroni primæ notæ viri ſcripſerunt. Peccavit in hoc Cornelius Tacitus, qui loquens de Claudio dilatante Pomœrium aſſerit a nullo alio auctum fuiſſe præterquam a Sylla, atque Auguſto, quum Syllam inter & Auguſtum illud auxerit Iulius Cæſar, ut aperte teſtantur Tullius (2), Dio (3), Gellius (4), aliique.

Canon II. Si quæ legit, quæque audit ſine delectu in unum copulata ſcribat Hiſtoricus, Prudentis characterem non præſefert: Ex hac parte Critici Plinium carpunt, qui ex pluribus auctoribus non rite examinatis ſuos libros confecit: *Fabulatur*, inquit Purchotius (5) *ſuo more Plinius Lib. 10. Nat. Hiſt. cap. 62. Viperæ marem caput in fœminæ os inſerere, quod*

(1) Lib. 2. epiſt. 13. ad Flavianum Gentilem.
(2) Ad Attic. lib. 1.
(3) Lib. 44. Hiſt.
(4) Lib. 13. cap. 14.
(5) Lib. 4. Phyſ.

Digitized by Google

quod illa voluptatis dulcedine abrodat eamdem tertia poſt die intra uterum catulos excludere ait, qui quum tarditate ſint impatientes matris latera perrumpunt, & patris necem, occiſa matre, ulciſcuntur. Quod falſum ex ſuis obſervationibus deprehendit Lutetiæ Pariſiorum Moſes Caras Pharmacopœus Regis, cujus extat elegans Tractatus de Viperis. Refert item (1) Puerum quemdam annos ſeptem, & quinquaginta dormiiſſe. Plinium in hoc ſuperavit Cteſius Gnidius, quem ac ingenio etiam plurima ſcripſiſſe fabuloſa notat Plutarchus, ut infra dicemus.

Canon III. Hiſtoricus non erit verax, ſi rem aliunde & ipſi notam prætereat: Exemplum ſuppeditat Hiſtoria Salluſtii, in qua ipſe, Catilinaria Coniuratione narrata, gratias a Senatu Ciceroni actas pro detecta coniuratione, & pro Liberata Patria, & ipſum ſingulari titulo *Patris Patriæ* ſalutatum, ſupplicationem decretam, alioſque ſummos honores invide prætermiſit.

Item ſi rem veram narret ita, ut eam ex omiſſis adiunctis aliter interpretari valeat Lector: Sic Tacitus ut Veſpaſianum ſuum Di-

(1) Lib. 7. cap. 52.

Digitized by Google

vinum hominem diceret, cœco viſum reſtituiſſe commemorat, quod & alii narrant Hiſtorici; At id ætatis Apollonium Tyanæum præſtigiatorem eximium Veſpaſiano coniunctiſſimum Alexandriæ cum Veſpaſiano eodem tempore degentem, ut ex Philoſtrato novimus (1), cuius arte magica id accidit, ait Baronius (2), verſute præterit.

Validius erit argumentum contra Hiſtorici veracitatem, ſi facile cauſſa adduci poſſit, cur rem Falſam narraverit, vel Adiuncta omiſerit, vel aliud quidpiam reticuerit: ut in poſitis exemplis, ſimultatem cum Tullio id temporis exercebat Criſpus Salluſtius, mirum idcirco non eſt, ſi eius gloriæ detrahere conabatur ſilentio. Ex Veſpaſiano Familiæ ſuæ dignitatem cœpiſſe Tacitus ipſe, ut ſupra retulimus, affirmat: En Aſſentationis Cauſſam.

Hæc omnia paucis expreſſit Tullius (a) paulo

(a) *Quis neſcit*, ait (3) *primam eſſe Hiſtoriæ legem, ne quid falſi dicere audeat? deinde, ne quid veri non audeat? Ne qua ſuſpicio gratiæ ſit in ſcribendo: Ne qua ſimultatis.*

(1) Lib. 5. Hiſt.
(2) Ad Ann. Chr. 71. §. IV.
(3) Lib. 2. de Orator. §. 15.

lo fuſius Lucianus (*a*).

Canon IV. Suſpenſo animo legendus is, qui non ſimplici narratione res geſtas commemorat, ſed ubique factorum interpetrationem, cauſſarum coniectionem, explorationem animorum interiicit: Is quippe non Hiſtoricum, ſed Vatem, Iudicem, atque Interpetrem agit, & non quæ acciderunt, ſed quæ accidiſſe cupit Lectorum animis inſinuare ſtudet: ex his reprehenditur a nonnullis Claudius Fleury ut fuſius infra.

Canon V. Si in re aliqua diſcrepant Hiſtorici, illi credendum, qui teſtes adducit eiuſdem ætatis: *Teſtium* inquit Cl. Huetius (1) *eo maior eſt Fides, quo a re geſta propius abfuerint:*

(*a*) *Talis igitur*, inquit Lucianus (2) *mihi ſit Hiſtoricus: Metus expers. muneribus incorruptus, Liber in dicendo, libertatis, & veritatis amicus, & ut Comicus ille ait ficus, ficus, ligonem, ligonem appellet: non odio, neque amicitiæ quicquam tribuens, non parcens, aut miſereſcens, aut erubeſcens, aut exorabilis: æquus iudex, benevolus omnibus, eo uſque ut ne alteri tribuat pluſquam par eſt: hoſpes in libris, ac peregrinus, ſui iuris, nullius imperio ſubditus, non quid huic, vel illi placiturum ſit cogitans, ſed quid actum ſit exponens.*

(1) In Lib. de ſcribenda Hiſtoria.

(2) Demonſtr. Evang. axiom. 2.

rint: *adeo ut Æqualium certior ſit*, *quam Recentiorum*: *Præſentium*, *quam Abſentium*: *certiſſima vero ſit eorum*, *qui rem oculis ſuis inſpexerunt*. His ductus Cornelius Nepos (1), *Scio*, inquit, *pleroſque ita ſcripſiſſe*: *Themiſtoclem Xerxe regnante in Aſiam tranſiiſſe*; *ſed ego potiſſimum Thucydidi credo*, *quod ætate proximus erat*, *qui illorum temporum Hiſtoriam reliquerunt*, *& eiuſdem civitatis fuit*: *Is autem ait ad Artaxerſem eum veniſſe*, *atque his verbis epiſtolam miſiſſe &c*. Potiori iure Teſtibus oculatis magis fidendum, quam auritis: huiuſmodi quippe regula communi Iuriſconſultorum ſuffragio firmatur apud Farinacium (2) & Vulgi etiam opinione comprobatur apud Plautum (3).

Pluris eſt oculatus Teſtis unus, quam
auriti decem:
Qui audiunt audita dicunt, qui vident
plane ſciunt.

Hoc uſus argumento Athenagoras Philoſophus (4) falſa eſſe crimina, quæ ab Ethnicis

(1) In vita Themiſtocl. §. IX.
(2) De Teſtament. quæſt. 70. cap. 3.
(3) In Trucul. Act. 2. ſcen. 6. v. 8.
(4) In Apolog. pro Chriſt.

Digitized by Google

cis obiiciebantur Chriſtianis aiebat, quod nullus tam impudenter mendax repertus ſit, qui ſe vidiſſe fateretur.

Canon VI. Magis illi adhærendum Hiſtorico, qui probatos Auctores, Authentica, extantia, & publica MSS. profert, quam qui ſuſpectis, & non ſinceræ fidei Auctoribus, ſuſpicioſis, diſperſis, & privatis monumentis rem comprobare nititur: atque hinc facile apparet quanta Eminentiſſimo Pallavicino (*a*) fides

(*a*) *Pietro Soave*, verba ſunt Pallavicini (1) *nel primo periodo eſalta la diligenza eſquiſita, con cui Giovanni Sleidano ha recate le cagioni antecedenti del Concilio, e moſtra di voler narrare in breve ciò, che lo Sleidano riferiſce diſteſamente. Or è da ſapere, che queſto Scrittore ſi profeſſa tanto favorevole degli Eretici, e tanto nemico del Pontificato Romano, che dedica il ſuo Libro ad Auguſto Duca di Saſſonia, celebrandolo perchè negli ſtati di lui trovaſſe la ſetta di Lutero il primo ricovero: e comincia la ſua opera con queſte parole*: Leon Decimo Romano Pontefice, il quale per uſurpazione de' ſuoi Anteceſſori credeva d'aver poteſtà ſopra tutte le Chieſe del nome Criſtiano. *Oltre di che non diſſimula lo Sleidano da qual miniera abbia cavato il metallo, di cui ha compoſti i ſuoi lavori, dichiarando autor delle principali conteſe, ch'egli ebbe intorno a que' ſucceſſi appartenenti alla Germania Gia-*

(1) Introduz. All' Iſt. del Conc. Trident. cap. xv.

Digitized by Google

fides debeatur in ſua de Tridentino Concilio Hiſtoria: contra vero quam nulla Sarpio, ſeu ementito Petro Soave eiuſdem Hiſtoriæ damnato depravatore, quem prior ille non tam purpura, quam doctrina præſtantiſſimus Auctor falſitatis ſingulis fere paginis egregie revincit (*a*).

CAN-

Giacomo Sturmio famoſo tra Calviniſti. Ad un tal teſtimonio dunque porge credenza, chi porge credenza al Soave nelle coſe precedenti il Concilio, cioè ne' fondamenti di queſta fabrica.

Appreſſo è noto, che lo Sleidano non ſolo è nemico del nome Cattolico, ma illuſtre per titolo di menſogniero: di che il convincono per profeſſione tra gli Alemanni il Surio, tra i Franceſi il Fonteno. Il Poſſevino oltre al produrre in teſtimonianza delle gravi bugie, ch' egli dice, l'autorità di Giulio Flugio Veſcovo di Namburg, oſſerva una falſificazione da lui fatta nella traduzione di Filippo Comineo tralaſciandovi alcune parole favorevoli al Sacrificio della Meſſa, e lo Spondano nell'aggiunta al Baronio (1) il chiama: Loquaciſſimo di menſogne.

Di quanto poi avvenne dentro al Concilio il Soave non eſprime in particolarità, onde abbia tratti i ſuoi rapporti ſe non talora di qualche ſpecial ſucceſſo.

(*a*) *Io (2) non ho voluto in queſti racconti prender quell' autorità, che ſuol darſi agl' Iſtorici: Mi ſon le-*

(1) An. 1519.
(2) Introduz. cap. VI.

Canon VII. Hiſtorico qui in facto celebri ſemel eſt mendax in aliis non eſt facile credendum: etenim præſumptio eſt contra eius ſinceritatem: quare niſi aliorum accedat teſtimonium in ancipiti res manebit, atque hinc non integræ fidei habetur Paterculus, qui Tiberium, & Seianum commendat in quibus vituperantur ab aliis.

Canon VIII. In pari Hiſtoricorum auctoritate nullatenus contemnendus eſt maior eorum numerus; dummodo conſtet alium ab alio rem non tranſcripſiſſe: Hinc nihil ponderis adderetur Hiſtoriæ Plinii, ſi teſtimonio Solini firmaretur, quippe Solinum pene omnia ex Plinio accepiſſe conſtat: Item nec S. Hieronymi auctoritas in Catalogo de Scriptoribus Ec-

legato a produrre in margine le teſtimonianze d' ogni piccola coſa tratte da' Scrittori ſtampati, e ricevuti per fedeli dal mondo, e da Mſs., i cui Autori furono Principi, Legati, Ambaſciadori, e ſi fatte Perſone publiche, cioè da loro Lettere, Relazioni, Iſtruzioni, Atti, e ſimiglianti; I quali Mſs. nelle Librerie, e negli Archivii da me ſucceſſivamente citati, o ſi conſervano autentici, o in tali copie, che per l'autorità de' luoghi, o per l'antichità de' libri rimanga lungi ogni dubbietà di fraude. Il che è quel più, che può farſi nella narrazione degli umani ſucceſſi, e di che nulla ha fatto lo Scrittore, al quale io riſpondo.

Digitized by Google

Eccleſiaſticis novi aliquid adderet teſtimonio Euſebii Cæſarienſis in ſuo de Scriptoribus Catalogo, quum Hieronymus ipſe teſtetur, ſe ab Euſebio illa decerpſiſſe: eadem ratione quoniam Uſuardus ex Adone Martyrologium (*a*) tranſcripſit, & hic ex Hiſtoria Rufini, teſte Cl. Sollerio, ſi quid dubii in Ruffini Hiſtoria occurrat, firmari neutiquam poteſt auctoritate Uſuardi, & Adonis in Martyrologiis.

Canon IX. Inter fabellas reiicimus Factum antiquioris ævi, de quo nullum extat vetus monumentum & cuius nullus veterum hiſtoricorum meminit, nullaque præterea appareat cauſſa (*b*) cur illud de induſtria omiſſum fuerit; At ſi cauſſa fuerit ſilendi aliqua nimirum ne aut Principis iram in ſuum caput arceſſeret Scriptor, aliaque id genus, præſertim ſi de Hiſtorici diligentia, fideque ambigi iure non poſſit, tum Recentiorum coniecturæ ad faciendum narrationis fidem non ſunt contemnendæ.

Canon X. Nullatenus vero conditionem probamus, quam Auctor diſſertationis de S. Dio-

(*a*) Vide Diſquiſitionem noſtram VIII. de Martyrologiis, pag. 188., ubi fuſe de his.

(*b*) Egimus de hoc argumento diſquiſitione VI. ubi *de Vi Argumenti Negativi pag.* 155.

Digitized by Google

nyſio Areopagita (1) appoſuit, quod ſcilicet certi etiam eſſe debeamus, extare opera omnia Scriptorum omnium Synchronorum, ut ſciamus nullum veterum de facto controverſo meminiſſe (*a*). Si enim hæc admittenda foret conditio, infinitæ propemodum conſurgerent numquam definiendæ controverſiæ: qua enim ratione demonſtrari poſſet unum fuiſſe Auguſtinum Hipponenſem Epiſcopum, qui libros de Civitate, & contra Pelagianos ſcripſerit, & contra Manichæos? Dubium mihi ſemper erit, num omnes ætatis illius Scriptores exiſtant, num aliquorum ſcripta, in qnibus alterius Auguſtini mentio fit, ac de quo controverſiam pono, Librariorum incuria perierint, & ſexcenta his ſimilia ex levi qualibet conjectura dici poſſent.

Canon XI. Si tempus in antiquis Hiſtoriis deſignatum non reperiamus, non ideo vel ſuppoſititiæ, vel a recentioribus ſcriptæ habendæ ſunt: quin & ſi cætera veritati conſonent, eius eſſe ætatis, qua Auctor, a quo ſcri-

(1) Cap. 4. art. 3.

(*a*) Innuimus Diſquiſitione 1. pag. 133. *de Critices utilitate, ac Præſtantia.*

Digitized by Google

ſcripta ſunt, vixit, tenendum eſt (*a*).

Canon XII. Neque ut interpolata habenda illico & dicenda eſt Hiſtoria, ſi vel in Perſona, vel Loco peccatum ſit; labili memoriæ id tribuendum: plures huiuſmodi lapſus notavit Fabricius (1), & Cl. Hieronymus Tartarotti (2). Quapropter non rite a Baronio

(*a*) Ex Ioſephi Scaligeri animadverſione(3)canonem hunc in ordinem digeſtum voluimus, animadvertit quippe ipſe diligenter vetuſtiſſimos Scriptores, temporum deſignationem neglexiſſe: atque id ex hiſtoriæ natura feciſſe docet: *Hiſtoria*, ait Verrius Flaccus apud Gellium (4) *eſt Rerum geſtarum narratio, earum tamen proprie rerum, quibus rebus gerendis interfuerit is, qui narrat*. Quod & Iſidorus (5) firmat inquiens: *Apud veteres nemo conſcribebat hiſtoriam, niſi is, qui interfuiſſet, & ea quæ ſcribenda eſſent vidiſſet: melius enim oculis, quæ fiunt, deprehendimus, quam ea, quæ auditione colligimus: quæ enim videntur, ſine mendacio proferuntur*, quod & Servius (6) docet; licet eos ſcripſiſſe quoque hiſtorias, qui ſaltem videre res potuerint, putet: *Hiſtoria*, ait, *eſt eorum temporum, quæ vel vidimus, vel videre potuimus, dicta* ἀπό τοῦ ἱςορεῖν: *id eſt videre*.

(1) Biblioth. Græc. tom. 6. pag. 122.
(2) Tom. 25. colleſt. Calogeri.
(3) Animadverſ. in Chronol. Euſeb.
(4) Lib. V. cap. 18.
(5) Orig. Lib. 1. cap. 40.
(6) Ad 1. Æneid. verſ. 373.

Digitized by Google

nio (1) inferri mancum eſſe Sozomeni opus, inquiunt Melchior Canus, & Garnerius, ex quo Gregorius Magnus hiſtoriam de Eudoxio referens auctorem eius dicat Sozomenum; quum in Sozomeno non legatur: at quum in Theodoreto habeatur, Gregorium inquiunt, memoria deceptum, Sozomenum pro Theodoreto nominaſſe.

§. II.

De Hiſtoricis.

Poſt Canones de Hiſtoricorum dotibus, iudicium de Hiſtoricis nonnullis hic adnectere non abs re duco, ut quanti quiſque Hiſtoricus valeat, vel in quo quis, iuxta Eruditorum ſententiam, peccaverit, ob oculos habeamus.

Verum illud imprimis placet inquirere Quiſnam fuerit Primus Annalium, vel Hiſtoriæ Auctor: Non una hac in re eſt doctorum hominum ſententia: putant nonnulli ætate Saturni id eveniſſe, teſte Macrobio (2); at quum Auctoris nomen ſilentio prætereat Macrobius, quis Primus fuerit, ignoramus.

B Sunt

(1) Anno 474. num. 4.
(2) Saturn. Lib. 1. cap. 8.

Digitized by Google

Sunt qui poſt Plinium (1) Cadmo Mileſio hanc laudem tribuant ; Ioſephus tamen (2) Græcorum hiſtoriam primum ſcriptitaſſe Cadmum ; ante ipſum enim aliam aliarum Nationum hiſtoriam principem extitiſſe cenſet ; porro Principes condendæ hiſtoriæ Ægyptios fuiſſe non obſcure innuere videtur (3).

Euſebius (4), cui ſine hæſitatione, ſubſcribunt Franciſcus Balduinus (5), aliique omnium hac in re primum Moyſem fuiſſe affirmat.

Pherecidem, Hellanicum, & Acuſilam antiquos hiſtoricos ſine ullis ornamentis monumenta ſolum temporum, hominum, locorum, geſtarumque rerum reliquiſſe refert Tullius (6).

Horum primus patriam habuit Athenas circa Olympiadem LXVIII., atque ſoluta oratione, quæ ætate Darii filii Hyſtaſpis geſta ſunt, poſteritati mandavit, ut habet Cl. Iacobus Prouſt (7) (*a*).

Alter patria Lesbius vixit Olympiade LXXI, de Antiquiſſimis Gentium Principibus annales vulgavit. Ter-

(*a*) Plura de Pherecide habet Voſſius (8).

(1) Lib. 7. (2) Lib. 4. Antiq. Iudaic.
(3) Lib. 1. contr. Appion.
(4) De Præp. Evang. (5) De Inſtit. Hiſt.
(6) Lib. 2. de Oratore §. 13.
(7) In Not. ad Lib. 2. de Orat. §. 13.
(8) Lib. 4. de Hiſt. Græc. cap. 4.

Digitized by Google

Tertius Acuſilas ſcilicet Argivus floruit Olympiade LXXII. Is tamquam ſua edidit, quæ Heſiodus vincta numeris oratione ſcripſerat, ut teſtatur Clemens Alexandrinus (1).

Herodotus patria Halicarnaſſeus Græcæ Hiſtoriæ Pater nominatus, nobili genere natus, eloquentia inſignis floruit Olympiade LXXXIV. A Cyro auſpicatus octo dedit hiſtoriarum libros *Muſæ* inſcriptos; de ipſius dicendi eloquentia hæc habet Tullius (2) *Herodotum illum, qui Princeps genus hoc ornavit... Tanta eſt eloquentia, ut me quidem, quantum ego græce ſcripta intelligere poſſum, magnopere delectet*. Plura tamen Plutarchus in Herodoto notat, in opere de Malignitate Herodoti.

Herodotum libros ſuos recitantem quum audiſſet Thucydides gloria proritatus Libros octo ſcripſit de Bello Peloponeſiaco, quod ſeptem & viginti annis per Græciam exarſit univerſam (*a*). Vixit is Olympiade LXXXVII. de ele-

(*a*) De iis quæ unum & viginti annis Spartam inter, & Athenas acciderunt Thucydides ſcripſit: de reliquis vero ſex annis Theopompus, & Xenophon.

Opinantur nonnulli laudatos Octo libros non Thucy-

(1) Lib. 6. Strom.

(2) Lib. 2. de Orat. §. 13.

Digitized by Google

eleganti utriuſque Herodoti ſcilicet & Thucydidis ſcribendi genere hæc habet Fabius Quintilianus (1) *Denſus, & Brevis, & ſemper inſtans ſibi Thucydides: Dulcis, & Candidus, & Fuſus Herodotus: Ille concitatis, hic remiſſis affectibus melior: Ille vi: Hic voluptate*. At dum brevitati ſervit Thucidides, obſcurus quandoque fit.

Omnes ipſum Hiſtoriæ leges adamuſſim ſervaſſe, ſolertiam ſcilicet in rebus perſcrutandis, acre in iis examinandis iudicium, & in ipſis exponendis Veritatem, omniaque viſitaſſe Hiſtoricorum vitia, & Præcipitantiam, & partium ſtudium, aliaſque Voluntatis affectiones vel ex eo colligi poteſt, quod Athenienſis quum eſſet, nihil Lacedemoniis gloriæ detraxerit; adeo ut cum ipſo hac de re

cydidis, ſed vel Theopompi, vel Xenophontis, vel Thucydidis filiæ partus eſſe: At Thucydidis genuinum opus eſſe autumant Saniores Critici; morte tamen præventum ultimam non adieciſſe manum.

Extat Marcellini græci Autoris de vita, & ſtylo Thucydidis Diſſertatio. *Marcellinum* hunc *Ammianum* eſſe putat Geſner (2): at alium ab ipſo cenſet Voſſius (3).

(1) Lib. 10. cap. 1.

(2) In Biblioth.

(3) De Hiſt. Græc. Lib. 2. cap. 18.

re ſui, quum conquererentur cives, ipſe viventibus qui rebus geſtis interfuerant, ſua ſcripta in libera civitate iudicanda propoſuit: Nihil ipſe vulgavit, niſi quod vel a ſe viſum, vel a fidis exploratoribus, quos de induſtria ad opus hoc conficiendum alebat, compertum haberet. Licet Athenis ipſe, Auctore Pericle eius Adverſario omnium maximo, & in Civitate potentiſſimo, exulaſſet, Illum tamen ipſe non a calumniis vindicavit modo, ſed tantis eum laudibus cumulavit, ut eius interitu Rempublicam quoque interituram augureretur, inquit Ioannes Bodinus (1).

Alter ab iſto (hoc eſt Thucydide inquit Lipſius (2)) *eſt Polybius, qui multa, & praeclara libris quadraginta compoſuit, ſed pars pleraque aut tota periit, aut mutilata ad nos venit* (a) *cum fraude generis humani: Ille iudicio & prudentia Thucydidi haud diſpar, cura & ſtylo ſolutior, qui excedit, abrumpit & diffundit, & ſaepe non tam narrat, quam ex profeſſo docet: ſed recta, & ſalutaria ubi-*

 que

(a) Ex 40. Libris ab ipſo exaratis ſolum primi quinque ad nos pervenerunt: ex reliquis fragmentum aliquod, & epitome.

(1) Method. Hiſt. cap. 8.

(2) In Not. ad Polit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

quæ eius monita, & quem ego hoc Principibus commendatum velim, quod anxia in eum inquiſitione non opus, ſed ſenſus ſuos aperit, & revelat ipſe: nam Thucydides ſæpe arctior & obſcurior (a), *eique quæ circa Principem magis quam Principi aptus*. Is Megalopoli ortum habuit ante Chriſtum 190. Geſta Græcorum, Romanorum, Pœnorum, Celtarum in ordinem digeſſit: ſumma fuit in ſcribendo diligentia: ut ne quid falſi in ſuam irreperet hiſtoriam, prius urbes, de quibus dicturus erat, peragravit, dein quæ a ſe attente obſervata fuerant, vulgavit. Tanti a Bruto habitus eſt, ut ipſe ſibi eius hiſtoriam in epitomam redegerit, & quum prælium in Antonium, & Auguſtum iniret inter ſumma etiam belli negotia illam, ut habet Victorius, (1) legebat.

Theopompus patria Chius Iſocratis diſcipulorum clariſſimus floruit ante ortum Chriſti Domini 358. tempore Artaxerxis, & Philippi Macedonis. Ætate Photii ex octo & quinquaginta libris de eiuſdem Philippi hiſtoria tantum ſupererant tres & quinquaginta: hodie nullum eius extat opus: ab antiquis non raro citantur Oratio eius & Epiſtolæ; Com-

(a) Idem ſentit Tullius in Bruto.

(1) Lib. 21. Variar. Lect. cap. 1.

Digitized by Google

Compendium hiſtoriæ Herodoti, & libri duodecim Græciæ belligerantis, ab eo ſcilicet tempore, quo Thucydides finierat. Eum ut ſummum hiſtoricum commendat Dionyſius Halicarnaſſeus (1) (*a*).

Athenas patriam habuit Xenophon natus anno 1. Olympiadis 82. ante partum Virginis 401. qui anno 1. Olympiadis 105. Corinthi obiit nonagenarius, ut Lucianus refert (2). Hic longe alius ab aliis tribus eiuſdem nominis, qui de Amatoriis argumentis, teſte Svida, ſcripſerunt. Fuit is Socratis Auditor, & imitator religionis: Solus, ait Eunapius inter Philoſophos (3) qui operibus ſimul & verbis philoſophiam illuſtravit; Eius corporis animique dotes referens Laertius, inquit pulchrum, ultra quam dici poſſit, fuiſſe, verecundum, in omnibus præſtantem. Ipſi acceptam refert Litteraria Reſpublica Hiſtoriam Thucididis, inquit Lipſius (4). *Thucydidem adhuc*

(*a*) Alius fuit Theopompus Athenienſis comediæ Scriptor, ut Svidas habet: atque alius Gnidius, de quo meminit Strabo (5).

(1) Epiſt. ad Pompeium Magnum.

(2) De longævis.

(3) Lib. 14.

(4) In proæmio.

(5) In Not. ad Lib. Polit.

Digitized by Google

latentem, & in ſua manu, ut opprimeret (o candidam, & ab omni æmulatione vacuam mentem) primus ipſe protulit; & divulgavit: Suavis adeo in dicendo ut Atticæ Muſæ, vel Apis Attica, teſte Suida, nomen obtinuerit. *Quid ego*, ait Quintilianus (1) *commemorem Xenophontis iucunditatem illam inaffectatum, ſed quam nulla poſſit affectatio conſequi? ut ipſæ finxiſſe ſermonem Gratiæ videantur* (a). Herodotum imitatum eſſe inquit Dionyſius Halicarnaſſeus (2): Plura ſcripſit, & præter Cyropœdiam, hoc eſt, Cyri vitam, & diſciplinam, quæ non tam res geſtas continet, quam præcepta, quibus Iuvenis Princeps imbui deberet, & ad effigiem iuſti imperii, ut cum Tullio eruditi obſervant libris octo comprehenſam, præter Cyri minoris Aſcenſum in Aſiam, Hiſtoriam quoque libris ſeptem conſcripſit eorum, quæ in Græcia a Thucydide acciderunt, & quadraginta octo annorum ſpatio res geſtas expoſuit. Laudes quoque Ageſilai Regis vulgavit libro *Ageſilaus* inſcri-

(a) De Xenophontis ſtylo, & dictione extat Tractatus Ariſtidis Adrianenſis, qui Hermogeni tribuitur.

(1) Inſtit. Orat. Lib. 10. cap. 1.

(2) De Vot. Script. cenſ. p. 125.

ſcripto: dedit quoque libros de Republica Lacedomoniorum, & Athenienſium. Socratis Apologiam contexuit, atque eius memorabilia in ordinem digeſſit, quibus addidit opus inſcriptum *Oeconomicus*, quod ultimum Socratis Memorabilium librum abſolvit, quod maxime commendat Tullius: Multa quoque de Regno. De Adminiſtratione domeſtica: De Equis: De re equeſtri: De Venatione reliquit: eius opera recenſet Laertius. Circumfertur opus de Æquivocis ſub Xenophoontis nomine, quod ſæculo XVI. apparuit; verum illud ut Annii Viterbienſis commentum habent litterati viri. Videſis La Mothe de Vayer (1).

Xenophontis ætate ſuam quoque Aſſyriorum, & Perſarum hiſtoriam dedit Cteſius Gnidius, qui eam hauſiſſe dicit ex iis, quæ Babylone aſſervabantur hiſtoriæ, & rerum monumenta. Is in bello Cyrum Minorem inter & Artaxerxem Mnemonem Medicum in Cyri exercitu agens, ab Artaxerxe captus in Babylonem deductus (2), & magni a medicina habitus ibi fuit. Eius Hiſtoriæ Epito-

(1) Iugement. des hiſt.
(2) Strabo Lib. 13., & Diodor. Sicul. Lib. 2. cap. 9.

mam conſcripſit Photius (1), quæ tamen nihili ab ipſo habetur. De ipſo Plutarchus (2). *Oratio*, ait, *eius ſæpe a veritate ad fabulas, & ſcenica figmenta deflectit: fabularum incredibilium, atque ſtolidarum colluviem infarcit.* (a) Cum Plutarcho ſentiunt Alexander Po-

(a) Cteſiam Gnidium fabulis, commentis, apertiſque mendaciis ab Alphonſo Ciccarelli ſuperatum fuiſſe, quum ex Leone Allatio noverimus, de huius viri figmentis, atque fraudibus, quibus, unius ſpe lucri, veritatem confundere, nobilibus, ac Principibus præſertim viris imponere, atque univerſam Litterariam rempublicam turbare conatus eſt, Lectorem noſtrum monere opportunum ducimus, ut ſi forte in aliquod eius incidat opus, ſuſpenſo ſaltem percurrat animo.

Ciccarellus, verba ſunt Leonis Allatii (3), *Medicinæ primum* munus exercuit, ex quo ſe ad hiſtorias componendas tum inſtrumenta, illiuſque generis inſcriptiones contulit: neque muneris æmolumento contentus ſpe maioris lucri ad ſcelus & facinus animum convertit: hinc pecunias congerens familiarum ſtemmata digerere aggreſſus eſt, quæ ut ſpectabiliora faceret ad antiquiſſimam originem referebat, & quum ex hiſtoria non ſuppeteret ſeries, ex capite ipſe ſuo Maiorum nomina fingere, inter quos & Summos Pontifices per vim trahere, & Cardinales, qui num-

(1) Biblioth. Cod. 62. (2) In vita Artaxer.
(3) Poſt Anim. in Frag. Hetr.

Digitized by Google

Polyſtor, aliique; At Diodorus Siculus, & Trogus Pompeius in pluribus ipſum potius, quam numquam fuerunt, pro libitu creare: Urbium & Terrarum Dominos, copiarum Ductores ſtatuere dictis ſuis fidem comparans, Imperatorum, ac Pontificum diplomata, ac Privilegia componere, quibus familiarum nomini, & quos ipſe ſomniarat, heroibus robur addebat: ac tandem ne hiſtoricorum teſtimonia deeſſent, auctoribus qui iam erant, multa de ſuo addere, multa decurtare, hiſtorias etiam hæc eadem pertractantes ex integro componere, illiſque, ne ſine nomine vileſcerent, nomen appingere, quibus ſua dicta huiuſmodi confirmaret. Mox ne omnia innovare videretur nominibus propiis, quæ ſine cognominibus incerta vagabantur, quæ ſibi placebant cognomina, palpum minus cautis obtrudens, *apponebat* &c.

At quum in negotio arduiſſimo nimis clara, quæ ipſe effutiebat aliquod poſt tempus, quibus id negotii erat, viderentur, primum quidem ſuſpicio conflatur, deinde ſermo, ac fama: quare una fere omnes a Ciccarello dictorum teſtimonia poſcere, Scriptores, quos ille ad illa confirmanda teſtes advocabat, in dubium vertere, & an illi uſpiam extarent, ſedulo efflagitare, quos inter Cl. Albericus Cybus Maſſæ Princeps &c. Iugurtha Thomaſius, quum de rebus Synenſibus aliquid meditaretur, nonnulla illi ex hiſce, vel ſimilibus auctoribus ad Senarum res comprobandas ſeppeditata ſunt. Hic Adriano Polito, ut de auctoribus illis, quorum Catalogum ex Ciccarello acceptum miſerat, nunciaret ut ſi, & cuius fidei eſſent? cui,

quam Herodotum ſequuti ſunt: Sunt adhuc, qui eius chronologiam tueantur: quippe cuius dictis, licet non omnino, chronologia vulgatæ aptari poteſt.

Philiſtus Naucratita, id eſt Naucrate natus Siciliæ civitate, vel ut Tullio placet, Syracuſiis

cui Politus, mera figmenta omnia fuiſſe, & aperta mendacia: ſe luſtraſſe officinas omnes, & Bibliothecas perluſtraſſe, & recurriſſe ad peritiſſimos viros Fulvium Urſinum, & Petrum Ciacconium, & nil tale umquam *extitiſſe novit*.

Novarinus Epiſcopus, quum Novariæ Epiſcoporum Catalogum a Ciccarello habuiſſet, iteratis litteris ab eo locum, in quonam lateant ſimiles auctores expoſcit: primo de aliis, nihil vero ad quæſitum repoſuit: Auctorem dein ait apud ſe aſſervari: dein Principibus donaſſe: tandem ab aliis audiſſe *cauſſavit*.

Dicti mei teſtem nullum alium mihi, ait Allatius, præ Ciccarello ipſo advocabo, qui hæc omnia in libello ſupplice italice ad Iudicem dato, quo ſe ab his impoſturis defendere conabatur, ſine ambiguitate, aut inficiatione confitetur: cuius libelli ea ſententia latine fuerat: *In Actis pleraque confitentur, quæ ipſe confeſſus ſum*.

Tres laudatus Allatius Scriptorum Ciccarelli habet Catalogos: Primus eſt Scriptorum a Ciccarelli typis editorum, & MSS. Secundus Librorum MSS. eiuſdem Ciccarelli, qui in ſua Bibliotheca aſſervari aſſerit. Tertius Auctorum, quos ad ſua roboranda mendacia adducit.

Digitized by Google

ſis (1) Dionyſii Tyranni ætate duodecim libris hyſtoriam Ægypti complexus eſt: Item Siciliam deſcripſit ſummo in honore habitam, in qua octingentorum annorum ſeriem ad captum a Carthaginenſibus Agrigentum uſque: exactam quoque vulgavit Dionyſii Tyranni hiſtoriam: Is *puſillus Thucydides* a Tullio nominatur (2): ex quo *Thucydidis* imitator, ut inquit Fabius (3), & ut ante ipſum notaverat Tullius, *ut multo infirmior*, *ita aliquatenus lucidior*. Subtilia habet, & acuta excogitata cum ſuavitate dicendi coniuncta. In eo tamen notatur, qnod nonnulla Dionyſii Tyranni, qui familiariſſime eo utebatur, ut Tullius idem ait (*a*) geſta tueatur, atque circumveſtiat, quare a partium ſtudio non abſtinuiſſe videtur, ut habet Pauſanias (4) & Plutarchus (5).

Taurominii in eadem Siciliæ inſula regnante Aga-

(*a*) *Conſequutus eſt Syracuſius Philiſtus, qui quum Dionyſii Tyranni familiariſſimus eſſet, otium ſuum conſumpſit in hiſtoria ſcribenda, maximeque Thucydidem eſt, ſic ut mihi videtur, imitatus* (6).

(1) Lib. 2. de Orat. §. 13.
(2) Lib. 2. epiſt. 12. ad Quint. Fratr.
(3) Lib. x. cap. 1. Inſtit. Orat.
(4) In Atticis.
(5) In Vitis.
(6) Lib. 2. de Orat. §. 13.

Digitized by Google

Agathocle trecenteſimo circiter anno ante Chriſti ortum ſuam vulgavit hiſtoriam Timæus, qui ab Agathocle exilio damnatus fuit; quare ipſum amaro dente arrodit, nec fidem, teſte Svida, meretur. Maximopere illum Tullius commendat (1) *Timæus*, inquiens, *quantum autem iudicare poſſum, longe eruditiſſimus, & rerum copia ſententiarum varietate abundantiſſimus, & ipſa compoſitione verborum non impolitus magnam eloquentiam ad ſcribendum attulit*. Longinus contra (2) ſæpe frigidum dicit, & ad puerilia delabentem. De ipſo loquens Diodorus Siculus (3) ἐπιτιμάοντα, hoc eſt *Reprehenſorem* ob reprehenſiones extra ordinem, & rerum circumſtantias digeſtas, & in quibus nimium temporis conſumit, appellatum refert. Senio confectum annis ſcilicet 96. obiiſſe refert Lucianus (4).

Manetho Sacerdos Ægyptius (fragmenta tantum ſuperſunt) ſcripſit de Regibus omnium pene populorum.

Beroſi Babylonii hiſtorici tres citantur ab antiquis libri de hiſtoria Chaldæorum, ſeu Babylo-

(1) Lib. 2. de Orat. §. 13.
(2) Libro inſcripto περὶ ὕψους.
(3) Lib. 5. cap. 2.
(4) In Macrobiis.

loniorum; Ioſephus certe contra Appionem (1) & Opere Romanarum Antiquitatum (2) eius hiſtoriæ fragmenta citat: Scripſiſſe quoque, ex Agathia coniiciunt eruditi, de Aſſyriis, & Medis; immo ex Methaſtene colligunt eum univerſam dediſſe ab orbe condito ad Sardanapalum exactos rerum geſtarum Annales: atque ætate Alexandri floruiſſe volunt.

Metaſthenes Perſa de Iudicio temporum, & de Perſarum moribus, & geſtis ſcripſit, teſte Bodino (3).

Antiquiſſimum rerum Romanarum Scriptorem fuiſſe Fabium Pictorem (*a*) ait Livius: huic prænomen fuiſſe Quinctum ex Appiano colligit Voſſius (4). Floruit anno V. C. DXXX. Veracis hiſtorici leges non ſervavit: ſtudio namque ſuo-

(*a*) Fabiorum gens ſummo inter Romanos loco orta, teſte Plinio (5) eſt. Pictoris nomine diſtincta, quod eorum primus *Salutis Ædem* pinxit anno V. C. CCCCL. Alius conſulatum geſſit, alius Iuriſconſultus non ignobilis fuit, alius de quo Tullius loquitur (6) Hiſtoricus.

(1) Lib. 1.
(2) Lib. 1.
(3) Meth. Hiſt.
(4) De Hiſt. Latin. hic.
(5) Lib. 35. cap. 4.
(6) Lib. 2. de Orat. §. 13.

ſuorum Romanorum adductus in deſcribendo Bello punico, ait Polybius, gloriæ Carthaginenſium, & virtuti detraxit.

Induſtriam, ac diligentiam in Annalibus ſcribendis in M. Porcio Catone (*a*) commendat Cor-

(*a*) Quoniam huc uſque de Xenophontis, Fabii Pictoris, & Beroſi operibus meminimus, & Methaſtenem alioſque nominavimus, non ab re erit hic aliqua innuere de Viro alioquin eruditiſſimo ex doctiſſima S. Dominici familia, qui & in omnes libros hiſtoricos Bibliæ, & in errores Philonis ſcripſit, ut ipſe idem ait (1), & Tractatus de Turcarum Imperio, de Futuris Chriſtianorum triumphis in Turcas, & Saracenos: Commentarios in Iſaiam. Ab Alexandro VI. Magiſter Sacri Palatii creatus, Vir ingenio ſummo, eruditione mira, Orientalium Linguarum peritiſſimus fuit, Ioannes ſcilicet Nanni, qui ſub ficto nomine Annii Viterbienſis (quoniam Viterbii ortum habuit) in duas partes litteratos Viros ſcidit, quorum altera pro ipſo, contra ipſum altera acerrime pugnavit.

Septendecim libros anno Domini 1432. de Antiquitate vulgavit, in quibus producit Beroſum, Mirſylum, Porcium Catonem, Archilocum, Methaſtenem, Philonem, Xonophontis opera Anecdota, Sempronium, Q. Fabium Pictorem, Fragmentum itinerarii Antonini Pii, Altercationem Adriani Auguſti, & Epictici, Mathenonem, Sextum Iulium Frontinum: At tanto ingenio, & ſcribendi facilitate, ut Franci-

(1) In Præfat. Comment.

Cornelius Nepos (1) *Senex* inquiens, *hiſtorias*

C *ſcri-*

ciſcus Sanſovinus appoſitis additionibus, illuſtrationibus, & eruditis adnotationibus anno 1583. Venetiis iterum typis vulgaverit: iiſque uſus eſt Leander Alberti in ſua Italiæ deſcriptione.

Verum hæc falſa eſſe, & ab Annio confićta volunt Faber Stapulenſis (2) Ludovicus Vives (3) Ioannes Goropius (4) Ioannes Vergara (5) Gerardus Vorſius (6) Genebrardus (7) Poſſevinus (8) Melchior Canus (9) Mabillonius (10), & præ cæteris Gaſpar Barrerius (11) in nervoſa, & ampliſſima Falſorum Annianorum cenſura, aliique.

Ut falſum hoc eſſe Annii inventum, & verum ipſius commentum probent, illud addunt præter alia, quod & ipſe plura marmora, ſeu antiquos lapides produxerit, atque ut effoſſos prædicaverit, quibus ab Iſide, & Oſiride Viterbium ſuum fundatum oſtendebat,

(1) In eius Vita.
(2) Lib. 1. Politic.
(3) Lib. 4. de traden. diſcipl.
(4) De Reparation. Templ. Hieroſolym.
(5) Syntagm. 4. de diis Gentium.
(6) De Hiſt. Græc. Lib. 1. & de Hiſt. Lat. Lib. 3. pag. 609.
(7) Chronol. Lib. 1.
(8) Biblioth. ſelect. Lib. 16.
(9) De Locis Theolog. Lib. XI. cap. 6.
(10) Muſæi Ital. Tom. 1. pag. 158.
(11) Apud Andream Schottum Biblioth. Hiſp. pag. 356.

Digitized by Google

ſcribere inſtituit quorum ſunt libri ſeptem. Primus continet res geſtas Regum Populi Ro-

ma-

bat : quas Inſcriptiones lapidibus cælatas Nannium ipſum antea occuluiſſe Latinus Latinius, licet Viterbienſis & ipſe, teſtatus eſt.

Pro Annii Sinceritate, & Fide ſteterunt Ioannes Nauclerus (1) Ioannes Driedo (2), Ioannes Lucidus (3) Michael Medina (4) Sixtus Senenſis (5) Valerius Anſelmus Ryd (6) Antonius Guevara (7) qui hæc habet : *At nos animæquiores in Annium argumenta, quibus impetitur, quid virium habeant quid non, ratione non opinione penſemus : nam ſi res opinione penſanda eſt, æquum eſſe mihi videtur, & non ſolum pietas Chriſtiana, ſed moralis quoque prudentia exigit, ut Annius eximius Theologus Ordinis Prædicatorum, profeſſor hiſtoriarum quotquot fuerunt exactiſſima cognitione percelebris, qui tot egregiis editis monimentis tum divina ſcriptura illuſtranda, tum rebus vetuſtiſſimis ſervandis ſuum nobis ingenium, & ſolertiam, & multigenam eruditionem probavit, ſibique decus, & nomen fecit, æquum inquam & conſentaneum rationi, ut ab hac præſtigiarum & impoſturarum calumnia, unde ni-*

(1) In Chronico.
(2) De Script. Eccleſ.
(3) De Emendat. Temp.
(4) De Continentia Sacror. homin.
(5) Biblioth. Sanct.
(6) De Catalog. Annor. & Princip.
(7) In Comment. ſuper Prophet. Habacuc ad cap. 3. verſ. 13. num. 141.

Digitized by Google

mani : Secundus, & Tertius, unde quæque Civitas orta ſit Italica, ob quam res omnes

 Ori-

nihil ſperare potuiſſet, alienus, & integer habeatur: Non cadit utique, non cadit inquam in hos mores, non in hunc pudorem, non in hunc hominem iſta ſuſpicio. Sane Leander Albertus, ut iam dixi, Annium de crimine hoc iniuria ſuſpectum haberi aſſerit: quippe quum ipſum Viterbii videre contigerit ipſamet vetuſta exemplaria, ex quibus hos omnes libellos Annius in uſum Reipublicæ, & in gratiam ſtudioſorum ediderit.

Ut ingenuum quoque ſincerum, atque omni fide dignum tuentur Annium Guillelmus Poſtellus (1) Alphonſus Maldonatus (2), atque Dionyſius Gothophredus, de quo hæc habet Voſſius (3), *& tamen Dionyſius Gothophredus præfatione ſua in antiquæ hiſtoriæ auctores, hiſtoriarum curioſos cognitionem earum haurire iubet non ex decima, ut ait, lacinia, ſed ex illo Annii Beroſo, Manethone, & Methaſtene. Quia vero non ignorabat maximos viros cenſere, iſtos Scriptores ſuppoſititios, & mendis, mendaciiſque coopertos, continuo adiungit: ſuſpectæ ſunt, ac fluxæ apud viros quoſdam eruditiſſimos fidei. Sed quid? Sua illis, mea mihi, aliiſque opinio eſt:* & poſt pauca: *Quod ſi moroſe, ac pertinaciter in ſuperioribus auctoribus recuſandis manſerint eodem per me laureto in bibliothecis ſuis Beroſum, & alios aſſervent, quo Herodotum, quo deni-*

(1) Lib. de Orig. Hetrur. p. 20.
(2) Chronic. Univerſ. Tract. 13.
(3) De Hiſt. Græc. p. 87.

Origines videtur appellaſſe : in Quarto autem Bellum Punicum primum : in Quinto ſecundum: atque hæc omnia capitulatim ſunt dicta : reliqua bella pari modo proſequutus eſt uſque ad præturam Sergii Galbæ, qui diripuit Luſitanos, atque horum bellorum duces non nominavit, ſed ſine nominibus res notavit. In iiſdem expoſuit quæ in Italia, Hiſpaniiſque viderentur admiranda : in quibus multa induſtria, & diligentia comparet, multa doctrina. Hunc ſine ornatu ſcripſiſſe, ſed ſimplici ſtylo res narraſſe refert etiam Tullius (1).

Ante Cæſaris Dictaturam floruit Cornelius Nepos Attici, & Tullii, teſte Gellio (2) fami-

nique priores Dionyſii Halicarnaſſei, ac multorum aliorum, ac maxime Plinii Hiſtorici libros.

Quod autem de abditis ab Annio Viterbii lapidibus, ac deinde ipſomet iubente tamquam ex antiquitatis ruderibus effoſſis inſcriptionibus ex Latinio obiicitur, nihili eſſe ducunt, qui contra ſentiunt, ex eo quod quum Latinii ortus, defuncto iam Nannio, fuerit, teſtis ipſe oculatus eſſe non potuit, atque ab aliis fortaſſe, niſi ex ingenio dixerit ſuo, accepiſſe debuit; at quum nullum fide dignum proferat teſtem, id Nannio officere non debet. Vide Diſſertationes Voſſianas Apoſtoli Zeni (2) hac de re.

(1) Lib. 14. Noct. Att.

(2) Tom. II. pag. 186.

Digitized by Google

miliaris. De eius patria inter Scriptores non convenit: in Hoſtilia Veronenſium vico ortum habuiſſe volunt Leander Alberti (1), & Paullus Merula (2): Padi accolam eum dicit Plinius (3): Italus a Catullo (4), & Gallus ab Auſonio (5) nominatur: rem componit Voſſius (6), quia ſcilicet, inquit. *Italia Tranſpadana* dicebatur *Gallia Togata*. Tres ſcripſit Illuſtrium Virorum libros, quorum Gellius (7) meminit, Librum de Regibus, & Vitas Excellentium Imperatorum, quæ integræ ſuperſunt. Ludovicus Vives (8) putat poſtremas ſcilicet haſce dumtaxat excellentium Imperatorum vitas exaraſſe Nepotem; At oppoſitum tuetur Voſſius, qui tum ex allata Auli Gelii auctoritate, tum Servii (9), tum, quod caput eſt, ex iis, quæ Cornelius ipſe in fine vitæ Catonis ſcribit, probat Illuſtrium Virorum libros etiam vulgaſſe: *Huius*, ait ibi, *de Vi-*

(1) In ſua Italia.
(2) In Coſmographia.
(3) Lib. 3. cap. 18.
(4) Epigr. 1.
(5) Epiſt. 24.
(6) Hiſt. Lat. lib. 1. cap. 14.
(7) Noct. Attic. lib. 2. cap. 8.
(8) Lib. 5. de tradend. diſcipl.
(9) 1. Æneid.

Digitized by Google

ta , & moribus plura in eo libro perſequuti ſumus quem ſeparatim de eo fecimus , *rogatu Titi Pomponii Attici, quare ſtudioſos Catonis ad illud volumen relegamus .* Ex iis vero , quæ in vita Timoleontis habet, infert Voſſius idem de Regibus quoque ſcriptitaſſe : *Hi fere* , ait, *fuere Græciæ gentis duces, qui memoria digni videantur præter Reges : namque eos attingere noluimus, quod omnium res geſtæ ſeparatim ſunt relatæ , neque tamen hi admodum ſunt multi .*

Non defuere,qui & excellentium Imperatorum Vitas ipſi abiudicarent, atque Æmilio Probo ætate Theodoſii florenti tribuerent; *Verum nec Æmilium, nec Theodoſiani ævi quemquam horum* , ait Voſſius, *eſſe Librorum auctorem abunde arguit pura & Romana dictio .* Egregii hiſtorici dotes in ipſo agnoſcunt eruditi, in perquirendo ſcilicet diligentiam , in iudicando acumen , ſinceritatem in exponendo : *Cornelius* , ait Petrus Nannius (1) *quam elegans ſit ſcriptor,ex Vita Pomponii Attici cognoſcere licet : Dictio certe venuſtiſſima , & ſimpliciſſima, in diſponendo nihil illo accuratius, in fide nihil ſanctius .*

Ca-

(1) De Claris Corneliis .

Caius Iulius Cæſar Commentarios ſcripſit de Bello Gallico, & de Civili, quorum primos ſeptem, alios tribus digeſſit libris, quidquid in iis accidit per partes enarrat. *Caius Cæſar*, inquit Iuſtus Lipſius (1) *res ſuas ipſe digeſſit; compoſite ſane, & pari modeſtia, ac libertate: In ſtylo ſunt, quæ culpem, ſine eius tamen culpa, nam malam aliquam, & alienam manum acceſſiſſe ſatis mihi liquet: prudentiam non e verbis eius hauries, ſed e factis, & maxime militarem. Commentarii enim ſunt, & nihil pollicentur præter nudam, ſimplicemque narrationem*. Sed quid? Quod aliena manu librariorum videlicet errata irrepſerint, unde diverſæ lectiones, atque adeo emendationes ex Scaligero, Voſſio, Cellario, atque Lipſio ipſo habitæ ſint, nulli ſane dubium: Quod vero ſubdit: *Commentarii ſunt, & nihil pollicentur præter nudam, ſimplicemque narrationem*, quaſi ſi præter unam rerum narrationem nihil elegantiæ in ipſis eſſet, & venuſtatis, id ſane falſum videtur docto, acutoque viro Gerardo Voſſio (2) philologis præſertim rebus eruditiſſimo, ut refert Cl. Chriſtophorus

(1) In Not. ad lib. Politic.
(2) De Philologia pag. 71.

rus Cellarius (1). *Videtur abuſus* Cæſar Commentariorum *nomine, qui proprie ſint ſimiles picturæ inchoatæ, & materiam tantummodo hiſtoriæ delineent: Cæſar autem, ut Hirtius proemio Libri VIII. cenſet, non præbuit facultatem ſcriptoribus, ſed præripuit; adeo limati, & elegantes ſunt illius Commentarii.* Quanti Commentarios hoſce fecerit A. Hirtius Panſa, vel Oppius auctor libri de Bello Gallico, ipſiuſmet verbis excipere ne pigeat (2) *Conſtat*, ait, *inter omnes nihil tam operoſe ab aliis eſſe perfectum, quod non horum elegantia Commentariorum ſuperetur, qui ſunt editi, ne Scientia tantarum rerum ſcriptoribus deeſſet: adeoque probantur omnium iudicio, ut prærepta, non præbita facultas ſcriptoribus videatur: cuius tamen rei maior noſtra, quam reliquorum eſt admiratio: Cæteri enim quam bene, atque emendate, nos etiam quam facile, atque celeriter (a) eos confecerit, ſcimus: erat autem in Cæ-* *ſare*

(a) De Cæſare hæc habet Plinius (3) *Scribere, & legere ſimul; dictare, & audire ſolitum accepimus: epiſtolas vero tantarum rerum quaternas pariter Librariis dictare, aut ſi nihil ageret, ſeptenas.*

(1) Adnotat. I. In Comment.

(2) Præfat. ad Lib. VIII. de Bello Gallico.

(3) Lib. 7. cap. 15.

Digitized by Google

ſare cum facultas elegantia ſumma ſcribendi, tum veriſſima ſuorum ſcientia conſiliorum explicandorum.

Unum inter Veteres Aſinium Pollionem minimi Commentarios hoſce feciſſe, ex Suetonio (1) novimus: *Pollio Aſinius*, ait Tranquillus, *parum diligenter, parumque integra veritate compoſitos putat, quum Cæſar pleraque, & quæ per alios erant geſta temere crediderit, & quæ per ſe vel conſulto, vel etiam memoria lapſus perperam ediderit, exiſtimatque reſcripturum, & correpturum fuiſſe*. At quid ſalſi ſcripſerit, quid notatu dignum prætererit, quibus facile aſſenſerit, omnino ſilet. Aſinium ſummum Oratorem fuiſſe, atque a diligentia a Quintiliano (2) commendatum, veracemque hiſtoriæ ſcriptorem novimus ſane; at male erga Cæſarem, atque Auguſtum animatum fuiſſe, ex hiſtoriis non obſcure colligimus: ipſius enim conſiliis in Republica primum, in Imperio dein gubernando numquam nec Cæſar nec Auguſtus uſus fuit: quin Iuvenis Octavianus ſatyricos in Pollionem, neſcio quos ſcripſerat verſus: quibus teſte Macrobio (3) Pollio: *At ego taceo*, inquiebat, *non*

(1) In Cæſare. (2) Lib. 10. cap. 2.
(3) Satur. II. 40.

Digitized by Google

non enim eſt facile in eum ſcribere, qui poteſt proſcribere.

Timagenem Rethorem dicacem nimis, & audacem a Pollione odio habitum, ab Auguſto ob impudentem hanc in ſe, ſuoſque dicacitatem eiectum, Pollio in ſuum recepit hoſpitium, familiariterque ipſo utebatur, qua de re Auguſtus cum Pollione conqueſtus eſt ſuaviter, ut refert Seneca. (*a*) Item ſplendide cum amicis

(a) *Multa & Divus Auguſtus*, verba ſunt Senecæ (1) *digna memoria* fecit, dixitque, ex quibus appareat illi iram non imperaſſe. Timagenes hiſtoriarum ſcriptor quædam in ipſum, quædam in uxorem eius, & in totam domum dixerat, nec perdiderat dicta: magis enim circumfertur, & in ore hominum eſt temeraria urbanitas: Sæpe illum Cæſar monuit, ut moderatius lingua uteretur: perſeveranti, domo ſua interdixit, Poſtea Timagenes in contubernio Pollionis Aſinii conſenuit, a tota civitate direptus eſt: nullum illi limen præcluſa Cæſaris Domus abſtulit. Hiſtorias poſtea, quas ſcripſerat, recitavit, & combuſſit, & libros acta Cæſaris Auguſti continentes in ignem poſuit. Inimicitias geſſit cum Cæſare: nemo amicitiam eius extimuit, nemo quaſi fulguritum refugit: fuit qui præberet tam alte cadenti ſinum. Tulit hoc, ut dixi, Cæſar patienter, ne eo quidem motus, quod laudibus ſuis, rebuſque geſtis manus attule-

(1) De Ira Lib. 3. cap. 23.

cis Pollio convivatus erat, quum recens erat Caii Cæſaris Auguſti Nepotis mors, cuius rei quum Auguſti querelæ ad eius aures perveniſſent, repoſuit: Æquum non eſſe plus ab Amico, quam a Patre requiri: Eadem die enim qua Erium meum (filius erat is Pollionis) fata abſtulerunt, ſimul cum amicis comœdi, ut idem habet Seneca (1).

Nec mittenda eſt eius elata, difficilis, atque alterius gloriæ invida, ut ita dicam, indoles. Ipſe & Patavinitatem etiam in Livio notavit, Salluſtii ſcripta reprehendit ut nimia priſcorum verborum affectatione oblita teſte Suetonio (2): Tullii laudes non æquo ferebat animo, ut Seneca pater advertit (3), adeo ut terga verterit Seſti-

lerat. Numquam cum hoſpite inimici ſui queſtus eſt hoc dumtaxat Pollioni Aſinio dixit θηριοτροφεῖς. Paranti deinde excuſationem obſtitit, & Fruere, inquit, mi Pollio, Fruere, & quum Pollio diceret: Si iubes Cæſar, ſtatim illi Domo mea interdicam. Hoc me, inquit, putas facturum, quum ego vos in gratiam reduxerim? Fuerat enim aliquanto Timageni Pollio iratus: nec ullam aliam habuerat cauſſam deſinendi, quam quod *Cæſar cœperat*.

(1) Excerpt. Contr. lib. 4.
(2) De Illuſtr. Gram. cap. x.
(3) Suaſor. VII.

Seſtilio Enæ in Mecænatis domo pro obitu Ciceronis Poema ſuum incipienti.

Deflendus Cicero eſt, latiæque ſilentia linguæ (a).

De Pollione Aſinio plura habet Cl. Hieronymus Tiraboſchi (1), ex quibus non magni faciendum Pollionis iudicium liquido apparet, præſertim quum Tullius (2) maxima Commentarios hoſce Cæſaris laude proſequatur, Brutum inducens inquientem: *Commentarios quoſdam ſcripſit rerum ſuarum valde quidem probandos: nudi enim ſunt, recti, & venuſti, omni ornatu orationis tamquam veſte detracto; ſed dum voluit alios habere parata, unde ſumerent, qui vellent ſcribere hiſtoriam, ineptis gratum fortaſſe fecit, qui volunt illam calamiſtris inurere, ſanos quidem homines a ſcribendo deterruit.*

Octavus liber de Bello gallico, qui in Cæſaris Commentariis legitur auctorem habet incer-

(a) Pollio in ſuis hiſtoriis Tullium maximi habuit, ut ex ſequenti fragmento ab eodem Seneca (3) relato aperte colligitur: *Huius ergo viri tot*, ait, *tantiſque operibus manſuris in omne ævum prædicare de ingenio, atque induſtria ſupervacuum eſt.*

(1) Tom. I. Storia della Letteratur. Italian.

(2) In Bruto.

(3) Suaſor. VII.

Digitized by Google

certum, non ſecus ac libri de Bello Alexandrino, Africano, & Hiſpanienſi, ut habet Suetonius (1): *Alexandrini, Africique, & Hiſpanienſis incertus Auctor eſt: Alii enim Oppium, alii Hirtium, qui etiam Galliei belli noviſſimum, imperfectumque librum ſupplevit.* Hirtium familiarem Cæſaris fuiſſe ferunt, unde ipſi tribuunt eruditi. Quiſquis vero eorum Auctor ſit, elegantiſſimus habetur.

Anno quarto ante Pugnam Actiacam obiit Criſpus Salluſtius Amiterni natus, *Romana primus in hiſtoria*, ut Martialis habet (2). *Salluſtianam brevitatem* ſummopere commendat Fabius (3) *qua inquit, nihil apud aures vacuas, atque eruditas poſſit eſſe perfectius*: atque Thucydidi eum comparat (4) *nec opponere Thucydidi Salluſtium verear* inquit; Aſinius vero Pollio nimiam priſcorum verborum affectationem in ipſo reprehendit (5): Seneca ipſi vitio vertit obſcuram brevitatem: *Hæc vitia* ait (6) *unus aliquis inducit, ſub quo tunc eloquentia eſt, cæte-*

(1) In Iulio.
(2) Lib. 14. 159.
(3) Inſtit. Orat. Lib. 10. cap. 1.
(4) Ibid.
(5) Ex Sueton. de Illuſtr. Gram. cap. x.
(6) Epiſt. 94.

Digitized by Google

cæteri imitamur, & alter alteri tradit: Sic Salluſtio vigente, amputatæ ſententiæ. & verba ante expectatum cadentia, & obſcura brevitas fuere pro cultu. Scripſit de Bello Iugurthino, Catilinario, atque de rebus geſtis a Romanis. Hiſtoriarum tamen corpus totum periiſſe affirmat Lipſius (1). Quæ circumferuntur in Catilinam, & in Ciceronem declamationes, Salluſtio abiudicant eruditi, qui frequentes nec breves conciones ſuis operibus inſertas non omnino commendant.

Iulii Cæſaris, & Auguſti ætate Diodorum Siculum vixiſſe ferunt Argyræ in Sicilia natum: triginta is annos plures Aſiæ, atque Europæ peragravit Provincias, ne quid præteriret, neve quid falſi in ſuam, quam ſcribere cogitabat, hiſtoriam irreperet. Hanc ob multiplicem rerum variarum notitiam, quam complectebatur *Bibliothecam* inſcripſit: Quadraginta libris opus abſolvit; horum tamen hodie nonniſi quinque extant, quos, Nicolao V. Pontifice Maximo iubente, Pogius Aretinus latinitate donavit. Primum ex græcis Scriptoribus a fabulis abſtinuiſſe, & commentis notant eruditi: a ſtylo, & præſertim a perſpicui-

(1) In Not. lib. Polit.

cuitate commendatur a Photio (1); Ludovicus tamen Vives, & Boudin a Photio aliter ſentiunt. In Chronologiis non ſemel erraſſe Sigonius animadvertit, & Pighius. Hiſtoricos ipſe redarguit (2) qui oſtendendæ ſuæ eloquentiæ cauſſa crebras admiſcent hiſtoriis orationes.

Aſinius Pollio, de quo paullo ante meminimus, tempore Auguſti, cuius familiaritate fruebatur, hiſtoriam etiam ſcripſit ſeptendecim libris comprehenſam: Diligentia in rebus perſcrutandis a Fabio (3) commendatur. Ipſe primus Romæ Bibliothecam inſtituiſſe fertur. Suetonius, Tacitus, Seneca, Virgilius Ecloga præſertim tertia, & Horatius ode 1. lib. 2. ut non vulgaris doctrinæ virum prædicant.

Dionyſius Halicarnaſſeus patria ſcripſit ſub Auguſto Romanam Hiſtoriam fide incorrupta, limatoque iudicio. Is tanta benevolentia Pompeio Magno, Tuberoni, & Varroni coniunctus erat, ut ex eorum colloquiis omnia hauſiſſe, quæ in ordinem digeſſit, credatur, inquit Ioannes Bodinus (4). Plura de ſcribenda hi-

(1) Biblioth. Cod. 70.
(2) Præfat. Lib. 20.
(3) Lib. 10. cap. 2. Inſtit. Orat.
(4) Meth. Hiſt. cap. 4.

Digitized by Google

hiſtoria, nec non de Herodoto, & Thucydide (1) habet.

Eadem tempeſtate ſummum habuit Hiſtoricum Roma Titum Livium Patria Patavinum. Is præter Rethoricæ præcepta, quæ epiſtola data filio ſuo innuit Quintilianus (2), quidquid ab Urbe Condita ad Druſum uſque accidit, affabre, politoque ſtylo digeſtum centum quadraginta libris poſteritati reliquit: ex his vero, magno litterariæ Reipublicæ detrimento triginta tantum quinque ſuperſunt, inquit Struvius (3). Poſtquam in Decades Hiſtoria diſtincta fuit, dimidium Quintæ decadis additum fuit opera Grinei Vormes. Initium quoque xliii. Libri in Bambergenſi Bibliotheca a Franciſco Bartolini, repertum fuit (*a*). Aliud quoque Livii fragmentum, quod in tegumentis Veteris Bibliæ legebatur, addidit Cl. Vitus Maria Giovinazi (*b*). Opus integrum Conſtantinopoli in Turcarum Bibliotheca aſſervari, nec

(*a*) Hoc Bartolini initium Libri XLIII. ut verum Livii fœtum habent Antonius Querenge, & Gaſpar Luſignan; at ipſis adverſatur Voſſius.

(*b*) De hoc diximus elapſo anno in Prima noſtra Polymathiæ parte.

(1) Lib. 10. 11. 12. 13. 16.

(2) Lib. 10. cap. Inſtit.

(3) In ſelect. Bibliot. Hiſt. pag. 40.

Digitized by Google

nec ulli umquam, licet magna argenti copia oblata, autographum videre conceſſum eſſe, affirmat Spondanus (1); At qua ratione ductus id aſſerat, præterit, & inueriſimile aliis omnino videtur, quum id Galliæ Regi denegatum non eſſet.

Cæſar Caligula Livium ut verboſum notavit, Aſinius Pollio *Patavinitatem* neſcio quam, in eius dictione obiecit: Quam Lipſius (2) *Peregrinitatem ſermonis, nec tam in verbis, quam ſtylo toto*, ut Patavinitatem Pollionis tueretur, eſſe dixit. Verum cuiuſmodi ſit Patavinitas huiuſmodi *nondum conſtat*, optime animadvertunt Taurinenſes Academici (3). Verum nec ut verboſum illum habuit, nec Patavinitatem in eius ſtilo & dictione agnovit Quintilianus (4), & Hieronymus (5) quorum Primus: *Nec indignetur*, inquit, *ſibi Herodotus æquari Titum Livium, quum in narrando miræ iucunditatis, clariſſimique candoris, tum in concionibus, ſupra quam enarrari poteſt, eloquentem, ita ducuntur omnia cum rebus,*

(1) Itiner. p. 1. pag. 253.
(2) In Not. ad Lib. Polit.
(3) In Indic. ſcript. Vet. Latin.
(4) Inſtitut. Lib. 10. cap. 1.
(5) Epiſt. ad Paulin. Presbyter.

tum perſonis accommodata: ſed affectus quidem præcipue eos, qui ſunt dulciores, ut parciſſime dicam, nemo hiſtoricorum commendavit magis: ideoque immortalem illam Salluſtii velocitatem diverſis virtutibus conſequutus eſt. Alter Hieronymus ſcilicet, *Ad Titum*, ait, *Livium lacteo eloquentiæ fonte manantem de ultimis Hiſpaniæ, Galliarumque finibus quoſdam veniſſe Nobiles legimus: quos ad contemplationem ſui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit: habuit illos ætas inauditum omnibus ſæculis, celebrandumque miraculum, ut Urbem tantam ingreſſi, aliud extra Urbem quærerent* (*a*).

Septimo Tiberii anno duobus libris Hiſtoriæ Summarium condidit Velleius Paterculus oriundus Neapoli, natus Romæ, Romanus Hiſtoriographus: Stylus & Latinitas eſt, eo tempore digna. Ab adulatione Tiberium erga, & Seianum non abſtinuit, teſte Voſſio (1). Maxima pars, quæ de Tiberio erat, periit. Fragmenta nonnulla de Legionibus Romanis ipſi tribuuntur: At Suppoſita illa eſſe, & a Stylo, & ab Argumento, cenſent ſaniores Critici. Extre-

(*a*) Vide Cælium Lib. 25. cap. 1. & Vives Lib. 3. *de Ratione dicendi*.

(1) Lib. 1. cap. 24.

Extremis Tiberii eiuſdem annis poſt mortem Seiani Valerius Maximus Romanus opus condidit *Dictorum*, *Factorumque* Memorabilium novem Libris diſtributum, quod & Gellius commendat (1) & Plinius (2). At quum illud, quod ſub eius nomine legimus, obſcuris quandoque, nec uſitatis vocibus utatur, putat Madius (3) corruptum, atque interpolatum ad nos perveniſſe. In Hiſtoriis quoque erraſſe notat Carolus Sigonius (4). At quum dictionem aliquando exhibere ab ea ætate abhorrentem obſervaverit Voſſius (5), Ipſum non genuinum Valerii Opus, ſed Epitomam a Iulio Paride confectam autumat. Moreri (6), & Cantelius (7) Nepotianum Scriptorem recentiorem epitomæ huius auctorem volunt.

Sæculo Primo Chriſti eodem Tiberio regnante Alexandriæ natus eſt Philo Hebræus: floruit is ſub Caligula: ad Caium Imperatorem legatione functus eſt: Sub Claudio Librum

(1) Lib. 1. cap. 7.
(2) Lib. 7.
(3) Epiſt. 54.
(4) Lib. 1. emend.
(5) Lib. 1. cap. 24. Hiſt. Lat.
(6) Le Grand. Diction.
(7) In Valer. edition.

Digitized by Google

ſcripſit de Therapeutis (*a*) quorum integram vitam, honeſtoſque mores exponit: ſub quorum nomine Primos Monachos, vel Primævæ Eccleſiæ Chriſtianos commendare cenſent Clemens (1), Euſebius (2), aliique. Extat quoque eius Opus Tripartitum, cuius Prima Pars Coſmopoetica, quæ de Mundi Opificio agit: Secunda Hiſtorica, quæ ad ſacram refertur Hiſtoriam. Tertia, quæ Iuridica dicitur, Legem reſpicit. Eloquens Philo fuit in dicendo, in cogitando ſapiens, in rebus exponendis non obſcurus, diſciplinis pene omnibus imbutus: *Hic ſane vir*, ait Sixtus Senenſis (3) *fuit Pythagoricæ, Platonicæ, & Ariſtotelicæ Philoſophiæ peritia omnibus ſuæ memoriæ hominibus longe ſuperior, ſed & græcæ facundiæ inter omnes tam Chriſtianos quam Iudæos, & ethni-*

(*a*) Qui Therapeutæ fuerint, Num Primi Chriſtiani, Num Monachi, num iidem ac Eſſeni, de quibus Ioſephus Hebræus meminit, fuſe diximus in nuper editis noſtris Diſquiſitionibus, ubi Auctorum retulimus opiniones, atque ab oppoſitis obiectionibus vindicavimus, noſtram aperuimus. Diſquiſitione X. de Operibus S. Dyoniſii Areopagitæ (4).

(1) Lib. 1. Stromat.

(2) Lib. 2. Hiſt. cap. 18.

(3) Bibl. Sanct. Lib. 4.

(4) Pag. 230. in Notis.

Digitized by Google

& ethnicos ætatis ſuæ facile principem locum obtinuit; non defuere tamen, qui ei propriæ, hoc eſt, Hebraicæ linguæ imperitiam adſcripſerint. Huius opera intantum admirati ſunt Romani, ut digna exiſtimarint, quæ in ipſorum publica Bibliotheca, tamquam monumenta quædam reponerentur: Fuit præterea, ultra quam dici queat, admirabilis in divinis ſcripturis exponendis.

D. Hieronymus inter Eccleſiaſticos Scriptores eum recenſet (1), de quo hæc habet: *Philo diſertiſſimus Iudæorum: de hoc vulgo apud Græcos dicitur, aut Plato Philonem ſequitur, aut Platonem Philo. tanta eſt ſimilitudo ſenſuum, & eloquii.* Et alibi (2). *Quid loquar de Philone? quem vel alterum, vel ſecundum Platonem Critici pronunciant.*

Præter Tripartitum opus, de quo ſupra diximus, quodque Sigiſmundus Gelenius latine vertit, extant libri duo, quorum alter inſcribitur *Caius reprehenſus*, alter *Flaccus reprehenſus*, quibus Caium Caligulam, & Claudium Romanos Imperatores fictis nominibus increpat: *Quibus in libris*, ait Photius, (3) *magis, quam*

(1) De Script. Eccleſ.
(2) Epiſt. 84. (3) Biblioth. Cod. 105.

in aliis, dicendi vis eius ac venuſtas apparet. Peccat tamen non raro ideis tranſmutandis, cæteriſque a Iudaica ſecta alienis deſcribendis. Eius operum catalogum contexuit S. Hieronymus (1): de ipſo meminere Clemens Alexandrinus (2), Epiphanius, aliique non pauci. *Breviarium Temporum*, quod Philonis nomen præfert, & quidquid cum hoc ſimul editum eſt, Philonis partus non eſſe Critici doctiores autumant.

Tiberii quoque ætate floruit Strabo natus Amaſiæ civitate Ponti; *Vir*, inquit Voſſius, *profecto Maximus*(3), cuius extant ſeptendecim de Geographia libri, quos anno V.C.771. quarto anno imperii Tiberii Cæſaris vulgavit. Obiit autem circa annum eiuſdem Tiberii duodecimum. Decimum ſextum librum decimo octavo Chriſti anno ipſum elucubraſſe colligit Cl. Noris (4) ex eo, quod Comagenam in formam Provinciæ redactam ibi recenſeat. Præter Geographiæ libros Commentarios hiſtoricos, alioſque ipſemet libros commemorat ab ſe conſcriptos: Verum hi ad nos non pervenerunt. Quan-

(1) De Script. Eccleſ.
(2) Strom. Lib. 1.
(3) Hiſt. Græc. lib. 11. cap. 6.
(4) Ep. p. 107.

Digitized by Google

Quanti habeantur Geographiæ libri, qui eius ætatis hiſtorias etiam inſertam habent, ex iis coniicere licet, quæ Clariſſimi Viri Voſſius præſertim (1), & Caſaubonus (2) de ipſis ſcripſeruut, quorum primus: *Satis*, inquit, *prædicari nequit Doctrina, & induſtria Strabonis Amaſeni Scriptoris graviſſimi, quem Stratonem vocari debere perperam in Peripateticis ſuis diſcuſſionibus contendit Franciſcus Patricius*. Alter, *Unus*, ait, *extitit Strabo Philoſophus αἱρέσει quidem Stoicus, cæterum doctus, Deus bone, laborioſus, prorſuſque ad unguem factus homo, qui omni doctrina eruditus, iiſque omnibus præſidiis abunde inſtructus, quæ ad rem geographicam deſiderari poſſunt, rem & magno animo ſuſcepit, & tanta felicitate confecit, ut perſuaſum habeam, ſi quis eius ſcripta diligenter verſare voluerit, eum antiquorum Geographorum iacturam patienter ferre: opus namque relictum nobis eſt a ſummo ſcriptore, quod præter accuratiſſimam totius Orbis tunc cogniti deſcriptionem, tanta doctrina, tamque varia omnium rerum ſcientia refertum eſt; ea denique arte contextum, ut*

 ſi unius,

(1) De Script.
(2) Strom. Lib. 1.

ſi unius, aut alterius e veteribus ſcripta excipias, nihil plane in tota vetuſtate reperiam cum hoc opere comparandum. Adnotationes operi addidit eruditiſſimas Guilielmus Xilander.

Veſpaſiano Imperante, & Tito, Naturæ arcana rimatus eſt Plinius Senior Auctor celeberrimæ Hiſtoriæ Naturalis. Vir labore, & ſtudio ſingularis. Quæ univerſa fuerint eius opera, & quantus eius labor, ex epiſtola Plinii iunioris eius ex Sorore Filii noſcere non iniucundum Lectori eſſe arbitror. Ipſa ſane, niſi a tanto viro oculato teſte narrarentur, fidem ſane omnem ſuperarent: *Pergratum eſt mihi*, verba ſunt Iunioris Plinii ad Marcum, vel Macrum (1), *quod tam diligenter libros avunculi mei lectitas, ut habere omnes velis, quæraſque, qui ſint omnes. Fungar Indicis partibus: atque etiam, quo ſint ordine ſcripti, notum tibi faciam: eſt enim hæc quoque ſtudioſis non iniucunda cognitio. De iaculatione equeſtri unus; hunc, quum Præfectus alæ militaret, pari ingenio, curaque compoſuit. De Vita Pomponii Secundi Duo, a quo ſingulariter amatus, hoc memoriæ animi, quaſi debitum munus exolvit. Bellorum Germaniæ viginti, qui-*

(3) Epiſtol. Lib. 3. epiſt. 5.

quibus omnia , quæ cum Germanis geſſimus, bella collegit: inchoavit, quum in Germania militaret, ſomnio monitus: adſtitit enim ei quieſcenti Druſi Neronis effigies, qui Germaniæ latiſſime victor, ibi periit: commendabat memoriam ſuam, orabatque, ut ſe ab iniuria oblivionis aſſereret. Studioſi tres in ſex Volumina propter amplitudinem diviſi, quibus Oratorem ab incunabulis inſtituit, & perfecit. Dubii ſermonis octo ſcripſit ſub Nerone noviſſimis annis, quum omne ſtudiorum genus paullo liberius, & erectius periculoſum ſervitus feciſſet. A fine Aufidii Baſſi triginta unus. Naturæ Hiſtoriarum triginta ſeptem: opus diffuſum, eruditum, nec minus varium, quam ipſa natura. Miraris, quod tot Volumina, multaque in his tam ſcrupuloſa homo occupatus abſolverit; magis miraberis, ſi ſcieris illum aliquandiu cauſas actitaſſe; deceſſiſſe anno ſexto, & quinquageſimo, medium tempus diſtentum, impeditumque qua officiis maximis, qua amicitia Principum egiſſe pernoſcitur. Sed erat acre ingenium, incredibile ſtudium, ſumma vigilantia. Lucubrare a Vulcanalibus incipiebat, non auſpicandi cauſſa, ſed ſtudendi: æſtate ſtatim a nocte multa; hyeme vero ab hora ſepti-

ptima, vel quum tardiſſime octava; ſæpe ſexta: erat ſane ſomni parciſſimi, nonnumquam etiam inter ſtudia inſtantis, & deſerentis. Ante lucem ibat ad Veſpaſianum Imperatorem; nam ille quoque noctibus utebatur: inde ad delegatum ſibi officium reverſus domum, quod reliquum erat temporis, ſtudiis reddebat. Poſt cibum ſæpe (quem interdiu levem, & facilem Veterum more, ſumebat) æſtate ſi quid otii, iacebat in Sole, Liber legebatur, adnotabat, excerpebatque; nihil enim legit, quod non excerperet: Dicere etiam ſolebat, Nullum eſſe Librum tam malum, ut non aliqua parte prodeſſet. Poſt ſolem plerumque frigida Lavabatur, deinde guſtabat, dormiebatque minimum. Mox quaſi alio die ſtudebat in cænæ tempus, ſuper hanc liber legebatur, adnotabatur, & quidem curſim. Memini quemdam ex amicis, quum lector quædam perperam pronunciaſſet, revocaſſe, & repeti coegiſſe, huic Avunculum meum dixiſſe: Intellexeras nempe? *quum ille annuiſſet:* Cur ergo revocabas? decem amplius verſus, hac tua interpellatione, perdidimus. *Tanta erat parſimonia temporis. Surgebat æſtate a cæna, luce: hyeme intra primam noctis, & tamquam aliqua lege cogente, hæc*

in-

Digitized by Google

inter medios labores, Urbiſque fremitum: In ſeceſſu ſolum balinei tempus ſtudiis eximebatur: quum dico Balinei, de interioribus loquor: nam dūm diſtringitur, tergiturque, audiebat aliquid, aut dictabat. In itinere, quaſi ſolutus cæteris curis, huic uni vacabat: ad latus Notarius cum libro, & pugillaribus, cuius manus hyeme manicis muniebantur, ut ne cæli quidem aſperitas ullum ſtudii tempus eriperet, qua ex cauſſa Romæ quoque ſella vehebatur. Repeto me correptum ab eo, cur ambularem, Poteras, *inquit,* has horas non perdere: *nam perire omne tempus arbitrabatur, quod ſtudiis non impertiretur. Hac intentione tot iſta volumina peregit, electorumque Commentarios centum ſexaginta mihi reliquit, opiſthographos quidem, & minutiſſimis ſcriptos, qua ratione multiplicatur hic numerus. Referebat ipſe potuiſſe ſe, quum procuraret in Hiſpania vendere hos Commentarios Laertio Licinio quadrigentis millibus nummum, & tunc aliquanto pauciores erant. Nonne videtur* &c.

Naturalem eius Hiſtoriam perpetuis illuſtravit Commentariis, atque Adnotationibus plane eruditiſſimis, emendavit, auxit, ornavitque Vir ingenio ſummus, atque ab eruditio-

tione in Litteraria Republica Clariſſimus Ioannes Harduino Soc. Ieſu, de quo in prima parte diximus (1). Verum quum huius Hiſtoriæ materiam ex bis mille voluminibus collegiſſe feratur: quumque ſine delectu, prævioque examine, ut ex modo allata Plinii Iunioris epiſtola colligitur facile, res tranſcripſerit; idcirco nonnulla falſa, & plura inveriſimilia edidit. Obiit anno ætatis ſuæ 56. Eruperat enim id temporis ex Veſuvii faſtigio teterrimum, magnumque incendium. Is quum ibidem Claſſis Præfectus eſſet inſolens phænomenon ſcrutaturus Navim conſcendit: At dum forti animo ad Veſuvium propius accedit ex craſſo fumo, igneiſque denſis particulis obſtructo ſpiritu obit. Extat Veſuvius Mons in Campania Neapolitani Regni: Medium Montis ſterile a Temporibus Auguſti. Montem hunc flammas evomuiſſe olim ex eius ſitu cineribus, & intuitu liquet. Dio refert (2) ante æſtum multos Giganteæ molis homines ſuper ardentis Veſuvii apicem conſpectos fuiſſe: ſubſequutam fuiſſe maximam ſiccitatem, planitiemque totam vehementibus agitatam motibus, dehiſcentibus ſummorum montium culminibus, inquit Plinius, Plinii Senioris ex ado-

(1) Pag. 51. (2) Lib. 6. p. 755.

Digitized by Google

adoptione filius, (qui quum teſtis fuerit, & graphice rem totam deſcribat, eius epiſtolam hic apponere iuvat; quam tamen in Adnotationes reiicio, (a)) Ad hæc ſonitus ſub-

(a) *Petis, ut tibi Avunculi mei exitum ſcribam* (1); *quo verius tradere poſteris poſſis: gratias ago. Nam video morti eius, ſi celebretur a te, immortalem gloriam eſſe propoſitam. Quamvis enim pulcherrimarum clade terrarum, ut Populi, ut Urbes memorabili caſu quaſi ſemper victurus occiderit: quamvis ipſe plurima opera & manſura condiderit, multum tamen perpetuitati eius Scriptorum tuorum æternitas addet. Equidem beatos puto, quibus Deorum munere datum eſt, aut facere ſcribenda, aut ſcribere legenda: Beatiſſimos vero, quibus utrumque. Horum in numero Avunculus meus & ſuis libris, & tuis erit. Quo libentius ſuſcipio, depoſco etiam, quod iniungis. Erat Miſeni, claſſemque imperio præſens regebat Non. Kal. Sept., hora diei fere ſeptima: Mater mea indicat ei, apparere nubem inuſitata & magnitudine, & ſpecie. Uſus ille ſole, mox frigidam guſtaverat iacens, ſtudebatque, poſcit ſoleas, aſcendit locum, ex quo maxime miraculum illud conſpici poterat. Nubes (incertum procul intuentibus, ex quo monte, Veſuvium fuiſſe poſtea cognitum eſt), oriebatur, cuius ſimilitudinem, & formam, non alia magis arbor, quam Pinus expreſſerit: Nam longiſſimo velut trunco elata in altum quibuſdam ramis diffundebatur: credo quia recenti ſpiritu evecta, deinde ſeneſcente eo deſtituta, aut etiam pondere ſuo victa*

(1) Epiſtolar. Lib. 6. epiſt. 16. Tacito.

ſubterranei tonitruum inſtar extiterunt, tum exilire immenſi lapides, magnaque ignis copia

victa in latitudinem vaneſcebat: candida interdum, interdum ſordida, & maculoſa, pro ut terram, cineremve ſuſtulerat. Magnum, propiuſque noſcendum, ut eruditiſſimo Viro viſum. Iubet Liburnicam aptari, mihi, ſi venire una vellem facit, copiam. Reſpondi, ſtudere me malle, & forte ipſe, quod ſcriberem, dederat. Egrediebatur domo, accipit codicillos. Retinæ Claſſiarii imminenti periculo exterriti (nam villa ea ſubiacebat, nec ulla, niſi Navibus fuga), ut ſe tanto diſcrimine eriperet, orabant. Non vertit ille conſilium, ſed quod ſtudioſo animo inchoaverat, obit maximo. Deducit Quadriremes, ſed aſcendit ipſe non Retinæ modo, ſed multis (erat enim frequens amænitas oræ) laturus auxilium: properat illuc, unde alii fugiunt, rectumque curſum, recta gubernacula in periculum tenet, adeo ſolutus metu, ut omnes illius mali motus, omnes figuras, ut deprehenderat oculis, dictaret, enotaretque. Iam navibus cinis inciderat, quo propius accederet, calidior, & denſior, iam pumices etiam, nigrique, & ambuſti, & fracti igne lapides; iam vadum ſubitum, ruinaque Montis litora obſtantia, cunctatuſque paullum an retro flecteret, mox Gubernatori, ut ita faceret, monenti: Fortes, *inquit*, Fortuna iuvat; Pomponianum pete. *Stabiis erat, diremptus ſinu medio. Nam ſenſim circumactis, curvatiſque littoribus mare infunditur. Ibi quamquam nondum periculo appropinquante, conſpicuo tamen, & quum creſceret, proximo, ſarcinas contulerat in naves,*

pia, denſique fumi, qui lucem ut ut in meridie eriperent; copia eiaculati cineris tanta erat, ut

ves, certus fugæ, ſi contrarius ventus reſediſſet: quo tunc Avunculus meus ſecundiſſimo invectus complectitur trepidantem, conſolatur, hortatur, utque timorem eius ſua ſecuritate leniret, deferri ſe in balineum iubet, diſcumbit, cœnatque hic, atque hilaris, aut quod æque magnum, ſimilis hilari. Interim e Veſuvio monte pluribus locis latiſſimæ flammæ, altaque incendia relucebant, quorum fulgor, & claritas tenebris noctis excitabatur. Ille agreſtium trepidatione ignis relictas, deſertaſque villas per ſolitudinem ardere in remedium formidinis dictitabat: tum ſe quieti dedit, & quievit veriſſimo quidem ſomno: Nam meatus animæ, qui illi propter amplitudinem corporis gravior, & ſonantior erat, ab iis, qui limini obverſabantur, audiebatur. Sed area, ex qua Diæta adibatur, ita iam cinere, mixtiſque pumicibus oppleta ſurrexerat, ut ſi longior in cubiculo mora eſſet, exitus negaretur. Excitatus procedit, ſeque Pomponiano, cæteriſque qui pervigilarant, reddit. In commune conſultant, an intra tecta ſubſiſtant, an in aperto vagentur: nam crebris, vaſtiſque tremoribus tecta nutabant, & quaſi emota ſedibus ſuis nunc huc, nunc illuc abire, aut referri videbantur. Sub dio rurſus quamquam levium, exeſorumque pumicum caſus metuebatur, quod tamen periculorum collatio elegit & apud illum quidem ratio rationem, apud alios timorem timor vicit, cervicalia capitibus impoſita linteis conſtringunt; id munimentum adverſus decidentia fuit. Iam dies alibi, illic mox omnibus nocti-

ut eodem Plinio Iuniore teſte (1) Piſces maris extinguerentur. Duæ Urbes Herculanum ſcilicet, & Pompeiopolis, populo ſedente in Theatro, obrutæ ſunt: tamque late ſpargebantur glomera, referente Dione (2), crematæ materiæ, ut ad Africæ, Syriæ, ac Ægypti littora devoluerentur. Subdit Caſſidorius (3), Incendia huiuſ-

noctibus nigrior, denſiorque, quam tamen faces multæ, variaque lumina ſolvebant. Placuit egredi in littus, & e proximo aſpicere ecquid iam mare admitteret, quod adhuc vaſtum, & adverſum permanebat. Ibi ſuper abiectum linteum recubans ſemel, atque iterum frigidam popoſcit, hauſitque: deinde flammæ, flammarumque prænuncius odor ſulfuris alios in fugam vertunt, excitant illum; innixus ſervis duobus aſſurrexit, & ſtatim concidit, ut ego coniecto, craſſiore caligine ſpiritu obſtructo, clauſoque ſtomacho, qui illi natura invalidus, & anguſtus, & frequenter interæſtuans erat. Ubi dies redditus is, ab eo, quem noviſſime videras, tertius, corpus inventum eſt integrum, illæſum, opertumque ut fuerat indutus: habitus corporis quieſcenti, quam defuncto ſimilior. Interim Miſeni ego, & Mater. Sed nihil ad hiſtoriam, nec tu aliud, quam de exitu eius ſcire voluiſti. Finem ego faciam: unum adiiciam, omnia me, quibus interfueram, quæque ſtatim, quum maxime vera memorantur, audiveram, vere proſequutum. Tu &c.

(1) Lib. 6. Epiſt. 20.
(2) Pag. 756.
(3) Lib. 5. epiſt. 50.

Digitized by Google

huiuſmodi poſtea multa fuiſſe, quæ ætate hac noſtra nec rara ſunt, nec minima, & licet Tillemontius putet nullum æquaſſe illud quod ſub Tito accidit; Marcellinus (1) tamen huic ſub Tito comparat, quod contigit anno 472. a Baronio (2) etiam relatum. Certe nos incendium ei, quod a Plinio deſcribitur, noſtra ætate ſimile vidimus, flavamque arenulam Neapoli, finitimiſque urbibus, imbris inſtar illapſam contrectavimus, & gravem ſulphuris odorem paſſi ſumus: trementes præterea domos ex eiaculatis ab igne lapidibus, & mox vi ſua ex alto decidentibus experti non ſine magno imminentis exitii metu. Paucis præterea abhinc annis igniuomi montis flammas tanto in cælum impetu directas vidimus, ut ignea quædam quaſi columna vertici impoſita & quidem in mille fere paſſus erecta credi poſſet, ſuperato interiacentium montium obice, ne dum loci diſtantia. Nobis profecto illam contemplari per otium licuit, dum Verulis morabamur apud Cl. Alexandrum Araldi, virum honeſtiſſimo natum genere, & litteris non minus, quam moribus politiſſimum, cui me obſtrictum non uno nomine libentiſſime profiteor. De Veſuvio ſcripſere Iulius Cæſar Recupi-

(1) In Chronico. (2) Ad an. 81.

to (1) Sec. I., & Ioannes de la Torre (2).

Flavius Joſephus Eſſenorum ſectæ prius addictus, deinde Phariſæis adhæſit: anno ætatis ſuæ ſexto & viceſimo in Italiam transgreſſus eſt: redux Galilæae Præfectus ſalutatus eſt, floruit ſub Veſpaſiano, & Tito, a quo captus, ob ſuam doctrinam, morumque prudentiam ac ſuavitatem, ita eum ſibi devinxit, ut quum Hieroſolymam Titus excindere ſtatuerit, poteſtatem ipſi fecerit, ut quidquid ipſi libuerit, ex patriæ ruinis eriperet: At Is ſacros tantum libros, Fratris vitam, & quinquaginta amicorum ſibi dono ab Imperatore petiit: Titus vero pro agris, quibus Hieroſolymis fruebatur, alios commodiores in Iudæa largitus eſt: (quos dein Domitianus, auctoritate etiam ſua confirmavit). Domum, quam ante Principatum Titus habitaverat, aſſignavit. Septem dedit de Bello Iudaico libros, cuius ipſe teſtis fuit oculatus, tanti a Tito habitos, ut ſuo obſignatos ſigillo, in publica Bibliotheca reponi iuſſerit. Alios quoque viginti libros ſcripſit ſub Domitiano de Iudaica Antiquitate. Quinquaginta ſex annorum erat, quum viceſimum librum auſpicaretur: hinc nonnulli ſub Caligu-

(1) L' Incendio del Veſſuvio.
(2) Storia, e Fenomeni del Veſſuvio.

Digitized by Google

gula ortum habuiſſe colligunt. Duos quoque libros edidit contra Appionem Alexandrinum hominem Iudæis infenſum, eruditos ſane (1), ubi cauſſas aperit, cur in Græcorum hiſtoriis vetuſtioribus quamplurima falſa legantur, & alter alteri pugnantia loquatur (*a*). Diſquiſitionem item de Rationis Imperio, & de Macchabæorum Martyrio ſcripſit, quod ſane opus inter omnes eius partus maximi æſtimatur: Eius dictio magni habita eſt, adeo ut Livius inter græcos nominetur. Verum de eius fide in rebus enarrandis, exponendiſque nonnulli dubi-

 tant,

(*a*) *Quod unuſquiſque opinatus eſt*, inquit, (2) *hoc ſtuduit explanare: unde etiam libri ſe inuicem arguunt, & in multis Hellanicus ab Acuſilao diſcrepat: Heſiodum corrigit Acuſilaus: Ephorus Hellanicum in plurimis oſtendit eſſe mendacem: Ephorum vero Timæus: Timæum qui poſt illum fuere: Herodotum vero cuncti. Sed neque de Siculis rebus, qui eas conſcripſerunt, neque rurſum de Atticis, hi qui Atticas, neque de Argolicis, qui Argolicas memoriæ prodidere, conſentiunt: nam & Thucydides in multis etiam tamquam fallax accuſatur, licet ſcrupuloſiſſimam ſui temporis hiſtoriam ſcripſerit: Cauſſa vero huius diſſonantiæ ea præcipue eſt, quod ſtudium apud Græcos publicas de iis, quæ ſemper aguntur, proferre conſcriptiones: non enim duntaxat apud Græcos alios publica conſcriptio eſt neglecta, ſed neque apud ipſos Athenienſes diſciplinæ cultores aliquid huiuſmodi reperitur.*

(1) Lib. 1. (2) Lib. 1. contr. Appion.

tant, quos inter Cæſar Calinus (1), qui ipſum in plurimis adverſari ſacris Scripturis affirmat, probatque non ſemel. Tribuitur quoque Ioſepho liber *de Univerſi Cauſſa*; at hunc fætum eſſe Caii cuiuſdam Presbyteri cenſent nonnulli apud Photium (2): Hiſtoriam quoque de Bello Iudaico hebraice ſcriptam, quam Ioſepho adiudicant alii, non Flavii Ioſephi Hebræi, ſed Ioſephi Corionidis, qui poſt D. Hieronymum vixit, partum eſſe colligitur ſatis ex eo, quod de Gothis, qui in Hiſpania morabantur, meminit.

Plinius Iunior, qui Caius Plinius Cæcilius Secundus nominatur, Novocomenſis ex L. Cæcilio, & Sorore Plinii Senioris, qui ipſum adoptavit, ut idem ipſe habet, eloquentiam didicit ſub Fabio Quintiliano: In Syria Tribunus militum Euphratem Philoſophum audivit, ut habet Ioannes Maria Catanæus (3): ſub Domitiano Prætor, ſub Traiano Conſul, ortum habuit ſub Nerone, floruit vero ſub Traiano, ac propterea celebris a Panegyri Traiano recitata. Ipſi tribuunt vitas Virorum Illu-

(1) In Præfat. & per totum opus, quo vetus Teſtamentum exponit.

(2) Bibl. Cod. 48.

(3) In eius Vita epiſtolis præfixa.

Digitized by Google

Illuſtrium; At has Aurelium Victorem Auctorem habere inquit Geſner (1). Verum licet ipſe nullam ſcripſerit hiſtoriam, inter hiſtoricos merito recenſendus eſt, inquit Tillemontius (2), quia plura ad hiſtoriam comparandam in ſuis epiſtolis miniſtravit. Singularem in ſcribendo adhibuiſſe diligentiam clare liquet ex iis, quæ ipſemet Celeri (3) ſcribit, *Nullum*, ait, *emendandi genus omitto, ac primum, quæ ſcripſi, mecum ipſe pertracto: deinde duobus, vel tribus lego: mox aliis trado adnotanda, notaſque eorum, ſi dubito, cum uno rurſus, aut altero penſito: noviſſime pluribus recito, ac ſi quid mihi credis, tunc acerrime emendo: nam tanto diligentius, quanto ſollicitius intendo.* Bithyniæ Præfectus gentem Chriſtianam Traiano, a quo maxime diligebatur, commendavit, ut habet Tertullianus (4). Illud vitio ipſi vertitur, quod gloriæ appetens, & Immortalitatis ſummus fuerit aucupator, ut habet laudatus Catanæus (5), & reipſa ad Tacitum ſcribens (6) *Auguror*, inquit, (*nec me fallit*

(1) In Biblioth. (2) In Vita Traiani.
(3) Lib. 7. epiſt. 17.
(4) In Apologetica.
(5) In Vita.
(6) Lib. 7. epiſt. 33.

augurium) hiſtorias tuas immortales futuras, quo magis illi (ingenue fatebor) inſeri cupio: nam ſi eſſe curæ ſolet, ut facies noſtra ab optimo quoque artifice exprimatur, nonne debemus optare, ut operibus noſtris ſimilis tui ſcriptor, prædicatorque contingat? (*a*)

Sub eodem Traiano ſua opera in lucem edidit Cornelius Tacitus Equitis Romani filius, ut idem ipſe ait (1). A Veſpaſiano, Tito, & Domitiano familiam ſuam honoribus cumulatam eſſe, ex eodem retulimus ſupra, ubi de legibus Hiſtoriæ. Plinii Iunioris familiariſſimus fuit, tantaque inter eos neceſſitudo, ut alter alteri emendanda ſua ſcripta mitteret, ut liquet aperte ex iis,quæ Plinius (2) habet: *Librum tuum*, inquit, *legi, & quam diligentiſſime potui, adnotavi quæ commutanda, quæ eximenda arbitrarer: Nam & ego verum dicere aſſuevi, & tu libenter audire: neque enim ulli patientius reprehenduntur, quam qui maxime laudari merentur: Nunc a te librum meum cum adnotationibus tuis expecto. O iu-*

(*a*) De Plinio hoc plura habet Tillemontius in Vita Traiani.

(1) Lib. 7. epiſt. 20.

(2) Lib, 7. cap. 3.

O iucundas, o pulchras vices: quam me delectat, quod, ſi qua poſteris cura noſtri, uſquequaque narrabitur, qua concordia, ſimplicitate, fide vixerimus. Quanti autem Plinius eum fecerit, ex iis colligimus, quæ eadem epiſtola ſubdit: *Erit rarum & inſigne duos homines ætate (dignitate) propemodum æquales nonnullius in litteris nominis (cogor enim de te quoque parcius dicere, quia de me ſimul dico) alterum alterius ſtudia fovisse. Equidem adoleſcentulus, quum iam tu fama, gloriaque floreres, te ſequi, tibi longo ſed proximus intervallo, & eſſe, & haberi concupiſcebam, & erant multa clariſſima ingenia, ſed tu mihi (ita ſimilitudo natura ferebat) maxime imitabilis, maxime imitandus videbaris.* Galliæ Belgicæ quum præpoſitus eſſet, Librum ſcripſit de moribus Germanorum, quem eruditis commentariis illuſtravit Althamerus: Annales quoque orſus eſt, at mutili ſunt: Inſignius opus eſt Vita Agricolæ Soceri ſui. Ab aſſentationis tamen vitio non eſt omnino immunis: Etenim cauſſam præterit, cur Auguſtum inter, & Mecænatem antiqua refrixerit charitas, quam ex Dione novimus fuiſſe non ingenuam Auguſti cum

Terentia Mecænatis uxore cariſſima (*a*) familiaritatem. Obſcuriore ſtylo,nec genuino Latio utitur iuxta Tillemontium (1). Acumine, & Sententiarum pondere celebrem nominat Ioſephus Biner: at ſtylo confragoſo, & ſublimiore, quam Hiſtoria exigat, uſum eſſe ſubdit (2). Eius Hiſtoriam hortum dicit, & Seminarium præceptorum Lipſius (3). Is ab Auguſto, in quo deſierat Livius,ad Nervam uſque uno & viginti libris res geſtas complexus eſt: at ex his ſexdecim tantum ſuperſunt. A Dione non ſemel diſſentire notat Grevier (4),qui eum aperte malignum etiam nominat (5).Huius Auctoris opera ſingulis diebus pervolutaſſe Coſmam Magnum Hetruriæ Ducem, & Paullum III.

(*a*) *Feliciorem ergo*, inquit Seneca (6), *tu Mæcenatem putas, cui amoribus anxio, & moroſæ Uxoris quotidiana repudia deflenti ſomnus per Synphoniarum cantum ex longinquo lene reſonantium quæritur? Mero ſe licet ſapiat, & quorum fragoribus avocet, & mille voluptatibus mentem anxiam fallat, tam vigilabit in pluma, quam ille in Cruce?*

(1) In Vita Traiani.

(2) In Apparatu Par. XI. pag. 25.

(3) In Not. ad 1. Polit.

(4) Tom. 1. Stor. degli Imperatori Romani per totum.

(5) Ibid. pag. 268.

(6) De Provid. cap. 3.

III. Pontificem Maximum refert Voſſius (1). Tacito tribuunt nonnulli Dialogum de Oratoribus, ſeu de Cauſſis corruptæ eloquentiæ, quem alii Quinto Fabio Quintiliano adiudicant: Lipſius vero utrique negat. Videſis Lipſii Commentarios in Tacitum. At Petrus Pithæus, qui antea (2) opuſculum hoc Fabii Quintiliani inſcripſerat: re dein melius perpenſa, ſequutus, ut ipſemet ait, non modo Pomponii Sabini, ſed & omnium exemplarium fidem, Tacito adſeruit. Neque a ſtyli ratione commoveri ſubdit, quum omnibus notum ſit pro ætate dicendi genus mutari: & quod luxurians, profluens, ac floridum Iuveni, conciſum, grave, ſobrium Senibus eſt. De Taciti Dictione præclare diſſerit eruditiſſimus Muretus (3).

Lucius Annæus Florus, Senecæ, & Lucani Agnatus (*a*), quatuor vulgavit Romanæ Hiſtoriæ Li-

(*a*) Volaterranus Iulium Florum Secundum appellari mavult: atque hunc eſſe Secundum illum, quem ſummopere commendat Fabius, & Iulii cognomen a Patre retinuiſſe coniicit. Verum Secundum illum, eiuſque Patruum Iulium, non ut ſummos Hiſtoricos, ſed

(1) De Hiſt. Lat. cap. 30.
(2) Ad Veter. Iuriſconſ. Fragment.
(3) Vol. 2. Orat. 16. 17. 18.

Libros, quos cenſet Voſſius (1) eſſe Hiſtoriam Livii in epitomam redactam, cui non omnino ſubſcribit Ioannes Iſaacus Pontanus (2), ex quo ſæpe numero a Livio diſſentiat, ac variet ſententia. Græcius (3) errores nonnullos in ipſo notat, Frigidas quandoque argutias, & dictionem paullo audaciorem. At pro Floro ſtat Laurentius Begerus (4), qui Grævio obiecta vitia diluit, atque optimum fuiſſe Hiſtoricum demonſtrat. Laudatus ſane Pontanus de ipſo loquens (5): *Noſter itaque*, inquit, *Auctor, ſicuti nequaquam verboſus, aut diffuſus, ita neque, ut illi, qui ſumma rerum capita, aut nuda Breviaria contexunt, in ſe reſtrictus eſt, aut exanguis, ſed ſobriam, & verbis cultam orationem amat, denſus interim ſententiis, & rebus cum iudicio prolatis adeo frequens, & fæcundus, ut verborum prope numerum ſententiarum numero conſequatur*. Neque illud omittendum, quod Brevitati ſummæ miram coniun-

git

ſed ut oratores maximos recenſet Fabius: & Vetuſti Codices Lucium Annæum conſtanter eum dicunt, non Iulium.

(1) Hiſt Lat. lib. 1. cap. 30.
(2) In Oration. Iſagogica.
(3) In Præfat.
(4) In Prolegomenis ad ſuam edition.
(5) In Orati Iſag. pag. mihi 232.

Digitized by Google

git perſpicuitatem. Illuſtriorem reddiderunt Flori Hiſtoriam Notæ, & obſervata Politica eiuſdem Cl. Ioannis Iſaaci Pontani.

Sub Hadriano Phlegon, eiuſdem Imperatoris Libertus, patria Trallenſis, ut ait Saturninus (1), ſexdecim libros ſcripſit Olimpiadum ad Olympiadem 229. uſque, ut refert Suidas (2), quorum fragmenta vix ſuperſunt, & ex quibus nomen ſibi fecit Egregii Olympiadum Supputatoris: in quovis Olympiadis anno ſtudioſe, quid in quavis orbis parte admiratione dignum acciderit, retuliſſe inquiunt. Ex centeſima ſeptuageſima ſeptima olympiade, quam Photius retulit, arguunt Eruditi dignum ſane opus eſſe, quod hiſtoriæ plurimis in rebus magno adiumento fuiſſet. Quinque tantum primos libros, ſe vidiſſe Photius idem teſtatur ſpectantes ſcilicet ad Olympiadem 177: at putat opus productum ad Adrianum uſque. Edidit & aliud opus de iis ſcilicet, qui longo tempore vixerunt: nec non de rebus mirabilibus, quæ extra ordinem acciderunt, ubi Hippocentaurum in montibus Arabiæ captum, atque ab eo Rege Imperatori dono miſſum (quem Adrianum putant fuiſſe) deſcribit: in iti-

(1) In eius Vita.
(2) Apud Phot. Cod. 97.

itinere monſtrum illud vita exceſſiſſe refert, quod balſamo conditum, & Romam translatum in Imperatoris palatio tunc temporis aſſervari ſubdit, & ne quis fabuloſum id eſſe putaret, omnes provocat ad illud ſuiſmet oculis intuendum. Ipſi Suidas deſcriptionem Siciliæ tribuit: tres de Romanorum faſtis libros, deque celebrioribus locis Romæ, eorumque nominibus. Stephanus Byzantinus diverſa eius loca citat: Photius illum arguit, quod plurima de oraculis dixerit, atque de Olympicis ludis: item non omnino purum dicit eius ſtylum, quamquam non omnino humilem.

C. Iulius Solinus patria Romanus, profeſſione Grammaticus opus dedit inſcriptum *Polyſtor*, ubi plura memoratu digna diverſarum regionum commemorat. Nullius auctoritatis hiſtoricum eum dicit Scaliger (1). Ab Harduino in Adnotationibus ad Plinium ſæpe cenſoria virga reprehenditur, quod idem facit Salmaſius. Communis eruditorum opinio fert, a Plinio ut plurimum, quæ refert, tranſcripſiſſe (*a*), & nonnulla ex ingenio interpretatum eſſe,

(*a*) Ioannes Theodoricus, Ipſum multo ante Plinium floruiſſe ait, ætate ſcilicet Auguſti, quod & Philippus a Bergamo firmat ex eo, quod opus ſuum rei-

(1) Lib. 4. de emendat. Tempor.

Digitized by Google

eſſe , atque addidiſſe . In Solini opus duos Commentariorum libros ſcripſit Saumaiſe .

Plutarchus inſignis Philoſophus , Hiſtoricus , & Orator ortus eſt Cheroneæ in Beotia, regnante Claudio , ut ait Tillemontius (1) . Litteras docuit ſub Domitiano Romæ . Ioannes Sariſberienſis putat Præceptorem fuiſſe Traiani , etſi aliqui contendant ætatem Plutarchi vix quinquennio annos Traiani ſuperaſſe ; eius conſiliis Traianum uſum eſſe ait De la Baune (2) : Virorum Illuſtrium Græcorum , & Romanorum Vitas elucubravit . Ita Liberum de re quaque protulit iudicium , ut Principum cenſor eſſe videatur, inquit Bodinus (3) : Adeſt & opus de Malignitate Herodoti : aliique Morales Tractatus : at ex his aliquos eſſe ferunt Plutarchi Iunioris , qui Vitam edidit

Iu·

reipſa Auguſto dicaverit . Verum Salmaſius ipſum ducentis a Plinio annis vixiſſe ait .

Cæterum illud certum eſt , nullum ex antiquis ante Hieronymum de ipſo meminiſſe : & de Iudaica captivitate per Veſpaſianum habitam , qui ſane diu poſt Auguſtum Romanum rexit Imperium , verba facit in ſuo opere : & Non *Auguſtus* , ut Philippus a Bergamo , ſed *Auctius* , ut melioris notæ MSS. habent , legi debere autumant eruditi .

(1) In Vita Adriani .
(2) In Vita .
(3) De Meth. Hiſt. cap. 50.

Iuſtiniani. Qui plura de his volet, adeat Ioannem Rualdum (1). *Dignus*, inquit Lipſius, *ſi quis alius Principe ſcriptor, qui Iudicium mirifice format, & diffuſa, ac plana quadam ſcribendi via ad Virtutem ubique, & Prudentiam ducit* (2) Plutarchi opera adnotationibus illuſtrata Guilielmus Xilander Heidebergæ profeſſor edidit.

Suetonius Tranquillus Tertiæ Legionis Tribunus, regnante Othone, In Aula Hadriani epiſtolarum Magiſter, teſte Capitolino (3), Duodecim Primorum Cæſarum Vitas ſcripſit, de quo Eraſmus. *Illud opinor apud Eruditos omnes in confeſſo eſſe, quod ad narrationis fidem attinet, primas deberi Suetonio, qui, ut quidam non infeſtiviter dixit, prorſus ea libertate ſcripſit Cæſarum vitas, qua ipſi vixerunt*: quod ſane Eraſmi iudicium firmat Biner (4), qui, *Non tam Cæſarum Vitas, quam vitia ſcripſiſſe videtur*, inquit. De hoc opere Plinius (5) Tranquillo ipſi ſcribit: *Perfectum opus, abſolutumque eſt, nec ſplendeſcit lima, ſed atteritur*.

(1) In Vita Plutarchi.
(2) In Not. ad lib. 1. Politic.
(3) In Hadrian. cap. 11.
(4) In Apparatu lib. XI. pag. 25.
(5) Epiſtol. lib. 5. epiſt. 11.

Digitized by Google

tur. Opus quoque dedit de Grammaticis Illuſtribus, ac Poetis, ſed mancum eſt ex parte: ſcripſit de Ludis Græcorum, de quibus fuſius Tillemontius (1). Veroſimiliter ipſi quoque tribuunt Critici Vitas Horatii, Iuvenalis, Lucani, Perſii, nec non Terentii: Vitam autem Plinii Senioris eius fœtum non eſſe ex ſtylo colligunt. Aulus Gellius, Servius, & Svidas plura eiuſdem Tranquilli opera indicant: at quum hodie non extent, hic ea referre non iuvat.

Decem quoque libros de rebus Græciæ, deſcriptionem ſcilicet Græciæ, Loca, Mores, & quidquid ſcitu dignum eſt, vulgavit Pauſanias (*a*), Cæſareæ in Cappadocia natus: At multis fabulis eam, inquit Voſſius, permiſcuit. Scaliger vero omnia ex ingenio confiĉta fuiſſe autumat. Citantur quoque Auĉtoris eiuſdem deſcriptiones Aſiæ, & Phæniciæ: At temporum iniuria perierunt.

Dignos ſuo Imperio, ac militari virtute hiſtoricos habuit Alexander Macedo, qui ex bel-

(*a*) Alium ab hoc Pauſaniam nominat Svidas, quem Hiſtoriam Lacedæmoniorum, Deſcriptionem Helleſponti, Lacedæmoniorum Feſta, Chronicon, aliaque dediſſe opera narrat: At ignota Litterariæ Reipublicæ hæc ſunt.

(1) In Vita Adriani.

bellicis geſtis, adiuvante fortuna, *Magnus* dictus fuit, Arrianum ſcilicet, & Q. Curtium Rufum; quorum alter tempore Antonini Imperatoris, alter incerta ætate ipſius geſta poſteritati mandarunt. Primus ſummopere commendatur a Photio (1), qui de ipſo hæc habet: *Eſt ſane ſcriptor hic nemini eorum, qui hiſtoriam contexuerunt, poſtponendus: nam & narrationem brevitate præſtat, & importunis digreſſionibus, aut crebra parentheſi continentem hiſtoriæ tenorem minime lædit. Decori inſuper obſervans nova orationis compoſitione magis, quam vocabulis uſque eo eſt, ut plane alio nullo modo neque clarior, neque dilucidior fieri narratio poſſit*, & Bodinus (2) Arrianum, tanto reliquis Hiſtoricis, qui vitam Alexandri Magni ſcripſerant, ſuperiorem putat, quanto reliquis Imperatoribus Alexander fuit. Idem ſentit Nicolaus Blancardus (3) *Huic Auctori*, ait, *adſunt divina ſermonis lumina, puritas, perſpicuitas, & cum ornatu decorum: omnia feliciter, & veluti ſine cura, & arte, licet plurimum artis emineat, repræſentata: Nam & pro-*

(1) De 10. Arriani Libris de rebus poſt Alexandrum geſtis.

(2) In Meth. Hiſt. cap. 4. pag. 60.

(3) In Dedicat. præfix. Arriano.

Digitized by Google

& proprietatis græcæ linguæ retinens eſt &c. Tanta ſcripſit fide, & ſinceritate, *ut φιλαλήθης, id eſt, Veritatis conſectator, ſtudioſuſque ſit vulgo cognominatus, atque ita etiamnum honeſtatur* in Libris, inquit Cælius Rhodiginus (1). Eius Vita a Dione Caſſio conſcripta fuit. Photius, atque alii eius opera citant, quæ ad nos non pervenerunt, ut *Parthicorum* 17. Libros, in quibus bella Romanos inter & Parthos geſta ſub auſpiciis Traiani deſcripſit: *Bithynicorum*, in quibus de ſuæ Patriæ hiſtoria agit (*a*): *Alanicorum Commentarii*: *Vita Tilloberi Latronis*: *de rebus Dionyſii Syracuſarum Tyranni*. De Timoleontis Corinthii in Sicilia *geſtis*: *De rebus poſt Alexandrum geſtis Libri decem*. Collecta in unum hæc numerantur in Actis Eruditorum (2).

Quæ nunc extant, opera enumerat Voſſius (3) *Arriani nihil hodie habemus*, inquiens, *præter libros quatuor de Diſſertationibus Epitecti* (*b*). *Item Periplum, ſive Luſtrationem*

F *tum*

(*a*) Fuit is Nicomedienſis ex Bythinia.
(*b*) Epitectum audivit, ut habet Lucianus (4).

Ar.

(1) Lib. 1. Lect. Antiq. cap. 22.
(2) An. 1684. p. 122.
(3) Lib. 2. de Hiſt. Græc.
(4) In Pſeudomante.

Digitized by Google

tum Ponti Euxini, tum Ponti Erythræi, quod ſcripſit exemplo Xenophontis, cuius totidem habemus libros de expeditione Cyri: In his maxime ſequutum ſe ait Ptolemæum Lagi, & Ariſtobulum Ariſtovuli filium, quorum uterque ſub Alexandro militarat. Superſunt quoque Indica Arriani. At ratio plane fugit doctiſſimum Guilielmum Stukium, quum opus hoc ait temporum iniuriis intercidiſſe. Nam Indica *nihil aliud ſunt, quam qui vulgo creditur Liber octavus de expeditione Alexandri: quem ſeorſim a prioribus ſeptem ſcriptum eſſe, quum ex Photio conſtat, tum ex fine Libri ſeptimi de Alexandro, ac vel maxime ex Indicorum, ſive ut vulgo vocant, Libri octavi fine.*

De alio vero, hoc eſt, de Q. Curtio Rufo (*b*) hæc

Arrianus Epitecti diſcipulus, Vir inter Romanos imprimis laudatus, ac per omnem vitam in litterarum ſtudiis verſatus. Licet ſint, qui autument Arrianum hunc eumdem eſſe ac Iuriſconſultum: Saniores tamen Critici alium hunc ab illo eſſe pluribus demonſtrant.

(*b*) Qua vixerit ætate incertum. Sunt qui ad Auguſti tempora cum Borgaſio: ad Tiberii cum Pompa: ad Claudii cum Lipſio: ad Traiani cum Iſaaco Pontano: ad Veſpaſiani cum Clerico: ad Theo.

Digitized by Google

hæc habet Lipſius (1) *Probus eſt, legitimuſque hiſtoricus, ſi quiſquam fuit. Mira in ſermone eius facilitas: in narrationibus lepos: aſtrictus idem, & profluens: ſubtilis, & clarus: ſine vira alla, accuratus: verus in iudiciis: argutus in ſententiis: in orationibus, ſupra quam dixerim, facundus*: Integri ſunt ultimi eius operis libri octo: duorum vero priorum, nonniſi fragmenta ſuperſunt, quæ Freinshemius ſupplevit: *Sunt illi verba clectiſſima*, ait Wangeſailius (2), *acutæ, crebræque ſententiæ, expoſitiones mirificæ, conciones multa facundia inſtructæ, ita ut Oratio eius ubique ſervet maieſtatis ſuæ pondus*.

Regnante Antonino, ſummo cum plauſu Iuſtinus Hiſtoricus 44. Tragi Pompei libros in Epitomen redegit, ait Voſſius (3), paucis complectens hiſtoriam a Nino ad Cæſarem Auguſtum. Italice eam vertit, adnotationeſque adiecit Gabriel Giolito.

Sub eodem Antonino Noctes Atticas protu.

Theodoſii cum Bartio referant: nec deſunt, qui recentiorem adhuc velint.

(1) In Adnot. ad lib. Pol.

(2) In Pera Librorum Iuvenilium Tom. 4.

(3) Hiſt. Lat. lib. 10. cap. 32.

lit A. Gellius, vel ut aliis placet, Agellius Romanus, Vir multiplici ſcientia eruditus, ut ait Auguſtinus (1), qui etſi hiſtoriam non dederit ipſe, plura tamen ad hiſtoriam contexendam, veritatemque firmandam ſuffecit. Plurimas ipſum novas induxiſſe in lingua latina voces,ea tempeſtate inauditas,ait Salmaſius (2): At nunc apud litterariam Rempublicam, ut optimus linguæ latinæ Auctor habetur, ac paſſim producitur.

Philoſtratus Auguſtæ Iuliæ precibus Vitam ſcripſit Apollonii Tyanei fabulis refertam (*a*) a ſcribendi elegantia maxime Photio commenda-

(*a*) Hieracles primus Apollonium cum Chriſto Domino comparavit in libris ab eo ſcriptis in Chriſtianam Religionem: cui reſpondit Lactantius (3) & Euſebius (4) Cæſarienſis, qui eius facta aperte falſa demonſtravit: de ipſo etiam loquuntur Huetius (5), Guilielmus Loyd (6), & Kuilielmus Nicholis (7), Hackouſe in Libro inſcripto: *Le ſens litteral de ſcriture Sainte defendu contre les principales obje-*

(1) Lib. 9. de Civit.
(2) 1. de Hellen.
(3) Lib. 5. Div. Inſtit. cap. 3.
(4) Lib. inſert. in fin. epiſt. Apollon.
(5) Demonſtr. Evang. Prop. 9.
(6) Ep. ad Bentleium de Porphyrii, & Iamblici Vit.
(7) Coll. cum Deiſtis.

Digitized by Google

datur (1): nec mirum, quum Athenis, & Romæ Philoſtratus eloquentiam, teſte Svida, profeſſus ſit.

Non ſine laude viginti quatuor Libros edidit Appianus Alexandrinus Græcus, quibus hiſtoriam Romanam ab Ænea ad Romulum, a Romulo ad Auguſtum pertraxit, ut habet Photius (2) *Unus eſt Appianus*, ait Bodinus (3), *ex omnibus hiſtoricis, qui Romanorum Provin-*

jeƈtions des Antiſcrituraires a l' Hay 1741. (4). Præ cæteris tamen legendus eſt Gotifridus Olearius in præfatione ad eius Vitam, qui veluti ex profeſſo rem traƈtat.

Inter Recentiores Voolſton (5), & Carolus Blount iterum Apollonium in ſcenam protulere: atque hic poſtremus vitam edidit cum multis notis excerptis ex MSS. Baronis Hebert Deiſtæ anno 1685., quæ poſt tredecim annos proſcripta, atque interdiƈta fuit, approbante ipſo Petro Bayle in ſuo Diƈtionario Hiſtorico (6). Vide Moreri (7), & Iacobum Georgium Chauſepie continuatorem diƈtionarii Bayle, qui loquuntur de Carolo le Blount.

(1) Cod. 44. p. 29.
(2) Tom. 1. cap. 8.
(3) Serm. 1. de Miraculis.
(4) Tom. 1. Art. *Apollonius*.
(5) Tom. 2. Diƈtion.
(6) Cod. 57. p. 52.
(7) Meth. Hiſt. cap. 4.

Digitized by Google

cias, Opes, exercitus, totiuſque Imperii deſcriptionem ad intuendum veluti in ſubiecta tabula proponit: Strabo, Plinius, ac Ruffinus, Provincias attigerunt, Opes omiſerunt.

Inter celebriores non ab honoribus tantum (*a*), ſed a conſcribendis etiam Hiſtoriis ætate Alexandri Severi fuit Dio Caſſius, qui ut perfectam Romanam daret Hiſtoriam, duos & viginti conſumpſit annos, decem in explorandis, conferendiſque monumentis, duodenos in concinnanda, exponendaque hiſtoria (1) impendit. Opus integrum octoginta libros, hoc eſt, decades octo complectitur ab Ænea ad Alexandrum, teſte Photio (2) Clariorem Ipſum eſſe Thucydide, quem in Orationibus hiſtoriæ permixtis imitatum eſſe inquit

(*a*) Ortum habuit Niceæ in Bithynia filius Aproniani Præfecti Dalmatiæ Proconſulis Ciliciæ, ut Dio ipſe habet(4) Senatui adſcriptus, Prætor creatus a Pertinace: Primum Conſulatum geſſit ſub Severo: Caracallam ſequutus eſt in Orientem: Pergamo, & Smyrnæ eumdem præfecit Macrinus: ex Oriente revocatus fuit ad Præfecturam Africæ: Præfuit deinde Dalmatiæ, & Pannoniæ: & cum Alexandro Imperatore ſecundum geſſit Conſulatum.

(1) Lib. 69. p. 783.
(2) Dio Lib. 72. p. 829.
(3) Cod. 71.

Digitized by Google

quit Voſſius (1); Arguit vero Ipſum, quod Ciceronem, Brutum, Caſſium, Senecam acerbius deſcripſerit; Verum ab hac nota, ſeu potius nævo liberat, imo ex hoc ſummum, & verum Hiſtoricum demonſtrat Tillemontius, ex quo in illis nil niſi quod vituperatione dignum erat, vituperat; regulas proinde Hiſtoricorum exacte ſervavit, quorum eſt haud diſſimulare veritatem, in quo a Panegyriſtis differre debent. A Tacito ſæpe diſſentit, ut notat Crevier (2). Ex omnibus eius libris viginti tantum ſuperſunt, a fine ſcilicet Libri triceſimi quinti ad quinquageſimum quartum uſque: Triginta quatuor priores periere. De Poſterioribus libris fragmenta duntaxat ſuperſunt partim a Fulvio Urſino, partim a Valeſio collecta. Xiphilinus Patriarcha Conſtantinopolitanus ſæculo undecimo Dionis Hiſtoriæ epitomam confecit, atque in ſua Hiſtoria, quod deperditum erat, ſupplevit, quod & Zonaras conficere ſtuduit, teſte Voſſio. Scripſit etiam Dio geſta Traiani, & Vitam Arriani Philoſophi, ut ait Svidas. Tillemontius (3) maximopere in Dione commendat, quod Con-

(1) Hiſt. Græc. Lib. 2. cap. 15.
(2) Tom. 1. per totum Iſtor. degli Imperatori.
(3) In Alexand.

Conſulum Faſtos, reſque tunc temporis geſtas in ordinem digeſſerit.

Sexaginta Libris Vitas Philoſophorum, eorumque opiniones expoſuit Diogenes Laertius. Ipſum Epicureum fuiſſe, ex iis, quæ refert, colligitur. Vixit ætate Antonini Philoſophi, vel Alexandri Severi. Plurima erudita, & quæ Hiſtoriam illuſtrant, poſteritati mandavit. Vide Ludovicum Vives (1).

A Chronologia, æque ut ab Hiſtoria celebris fuit Cenſorinus: Eius opus de Die Natali magni habitum eſt a Caſſiodorio, & Sidonio, ut habet Voſſius (2): Lugduni Batavorum adnotationibus eruditis illuſtratum fuit a Lindenbrogio anno 1642.

A Dione, a Tempore ſcilicet Alexandri ad Diocletianum, Hiſtoria, ait Pagius (3), vagatur: Nam Herodianus parum accuratus: Lampridius, Capitolinus, Spartianus vix Hiſtorici nomen merentur: Zoſimus quum circa quintum ſæculum ſcripſerit, priora tempora non vidit, & Monumenta illius ætatis non obſervavit, & ſiqua vidit, in pravum detorſit ſenſum.

Ve-

(1) Lib. 5. de Tradend. Diſcipl. p.508.
(2) Hiſt. Lat. lib. 2. cap. 3.
(3) P. 228.

Digitized by Google

Verum nos aliqua de his ſingillatim ex eruditorum iudicio referemus, ut in quo peccaverint, vel ſiquid in ipſis boni fuerit, ob oculos habeat Lector.

Herodianus Alexandrinus, regnante Gordiano Iuniore, octo vulgavit Hiſtoriæ libros, cuius initium eſt ab exceſſu M. Aurelii Antonini ad mortem uſque Maximi Pupieni, & Balbini. In aula Cæſarum plura obiit munia. Styli elegantiam commendat Photius (1), ſubditque, Pares habuiſſe paucos in Hiſtoria ſcribenda. Ad fidem pleraque dixiſſe, ac ea præſertim, quorum ipſe per ſexaginta annos Teſtis fuit, Eruditi putant; Huiuſmodi tamen fides nutat in Alexandro, & duobus Maximinis, de quo Capitolinus (2) *Herodianus*, inquit, *Græcus Scriptor ei, quantum videmus, in odium Alexandri plurimum favit*. Ipſi acceptum refert Reſpublica Litteraria Ritum, & Cæremonias in Imperatorum inauguratione adhiberi ſolitum. Geographiæ ignarum, atque ſtudioſiorem rebus ornandis, quam accuratum in enarrandis eum dicit Tillemontius (3). Græce ſcripſit; Primus Angelus Politianus latine

(1) Cod. 99.
(2) In Maxim.
(3) In Gordian. p. 560.

Digitized by Google

tine vertit. Iulius Capitolinus, Trebellius Pollio, & Lampridius eum citant.

Aſinius Quadratus, quem Agathias Italum dicit, Imperantibus Philippis, græce quinque libros dedit, auctore Voſſio (1), qui Hiſtoriam Millenariam complectuntur, A Roma condita ad tempora uſque Philippi, ſive ad annum milleſimum, ex quo Millenaria eius Hiſtoria dicitur, ut ait Tillemontius (2). Diverſos quoque de Parthis dedit Libros. Huius teſtimonio utuntur Zoſimus, & Xiphilinus in ſuis operibus.

Suorum Bellorum hiſtoriam ſcripſit Aurelianus Imperator, quæ in Traiani Bibliotheca ſervata uſui fuit Vopiſco Aureliani vitam concinnanti.

Sub idem tempus floruit Herennius Dexippus Athenienſis ſummæ eruditionis Orator Thucydidi comparatus ab Eunapio (1). Plaudentibus litteratis viris hiſtoriam condidit duodecim comprehenſam libris ab Alexandro Severo ad Claudium II, quem ut plurimum ſequuti ſunt Capitolinus, & Trebellius Pollio: eius operis nonniſi fragmenta ex-

(1) Hiſt. Græc. Lib. 2. c. 16.
(2) In Philipp. p. 590.
(3) Cap. 2.

extant a Davide Hoeſchelio edita, quæ a Caſaubono commendantur (1). Schytarum quoque Hiſtoriam, & quatuor libros de iis, quæ ab obitu Alexandri Macedonis Macedonibus acciderunt, ſcripſiſſe fertur: Reliquiæ nonnullæ eius operum habentur in libro inſcripto *Corpus Hiſtoriæ Bizantinae*, ex quibus magnum opus deperditum fuiſſe apparet.

Ælius Spartianus ſuam quoque reliquit Hiſtoriam ſub Diocletiano cuius familiaris fuit, vel Libertus, exaratam. Hic a geſtis Iulii Cæſaris initium cæpit ad Hadrianum uſque: Extant vero hodie Vitae Hadriani, Ælii, Veri, Iuliani, Nigri, Severi, Baſſiani, & Getæ ſeorſum ab ipſo conſcriptæ, & Diocletiano, ut habet Voſſius, (2) dicatæ.

Hunc imitatus eſt Ælius Lampridius Burdegalenſis, qui Vitas congeſſit Commodi, Antonini, Heliogabali, Alexandri Severi: licet ex quibuſdam MSS. tribuantur Ælio Spartiano apud Voſſium (3), ex quo diſcrimen in nomine tantum ſit.

Iulius Capitolinus hiſtoriam, quam de Antoni-

(1) Ad Lampridium in Severo
(2) Lib. 2. cap. 5.
(3) Lib. 2. c. 7.

Digitized by Google

tonino Pio, & Vero condidit, Diocletiano dicavit: Vitas Albini, Macrini, duorum Maximinorum, & trium Gordianorum Conſtantino Magno: addidit tandem Vitas Maximi, & Balbini. Non deſunt, qui hæc omnia Capitolini opera Spartiano eidem tribuant, contradicente tamen Voſſio (1). Recte notat hic (2) Tillemontius Heliogabalum plura contra Macrinum vulgaſſe, quæ deinde ipſomet iubente, in ſuis hiſtoriis ſcriptores inſeruerunt: idcirco Dioni magis, quam Capitolino in iis, quæ de Macrino habet, credendum.

Et ſi Vulcatius Gallicanus Senator Romanus, regnante Diocletiano, omnium Auguſtorum Vitas ſcribere ſibi propoſuerat, una tantum extat Avidii Caſſii, qui contra Marcum Aurelium in oriente Arma capeſſiverat.

Trebellius Pollio hiſtoricus latinus Vitas Cæſarum a Philippo ad Claudium uſque, & Quintillum Fratrem, eodem teſte Voſſio, edidit, quarum tamen nihil, niſi pars Valeriani, & 30 Tyrannorum extat. Vopiſcus illum arguit, quod nimia prolixitate in rebus deſcribendis, laboraverit.

Flavius Vopiſcus Syracuſanus Vitam Aure-

lia-

(1) Cap. 65. hiſt. Lat.
(2) In Macrin. art. 1.

Digitized by Google

liani Imperatoris dedit. Addidit deinde Taciti, Floriani, & Probi: Imperium tandem deſcripſit Cari, Numeriani, & Carini. Hic, auctore Voſſio (1), ab eruditione, atque ordine quinque poſtremis, de quibus nuper nobis ſermo fuit, præferendus, licet in omnibus latii nitor deſideretur. Vitam quoque protulit Apollonii Thyanei, quam maxime nonnulli, ſed immerito, inquit Moreri (2), extollunt.

Univerſe Bonifacius (3) *Capitolinus*, inquit, *Lampridius, Spartianus, Vopiſcus, qui Cæſarum vitas conſcripſerunt Hiſtorici futiles Dempſtero, ſi ſcribendi genus ſpectetur: cæterum neceſſarii, quum meliores non habeamus: frigidi, confuſi, inter claros auctores non numerandi Budæo, vixque digni, ut Hiſtorici habeantur.*

Valentis Imperatoris ætate Iulius Pollux (*a*) ſuam

(*a*) Iullius Pollux Hiſtoricus, de quo nobis hic ſermo eſt, alius eſt a Julio Polluce, qui duobus ante ſæculis Epithalamium Commodo dicavit, & cujus Onomaſticum græcolatinum magni a Svida habetur, ab Aldo Manutio Venetiis 1511. vulgatum, contra quem Lucianus, ut creditur, elucubrationes dedit inſcriptas *Lexicophanes*

(1) In Valent.

(2) Verb. Vopiſcus.

(3) Lib. 4. Hiſt. Ludicræ.

Digitized by Google

ſuam a Mundi Creatione ad Valentem uſque contexuit Hiſtoriam, cuius MSS. extant in Bibliotheca, teſte Tillemontio (1), Ducis Bavariæ.

Ammianus Marcellinus Antiochenus, ut ex poſtremo eius libro colligitur, Miles & perpetuus comes Urſicini magiſtri equitum, qui omnibus fere bellis, quæ in Europa, & Aſia a Romanis geſta ſunt, interfuit, hiſtoriam ſcripſit a fine Imperii Domitiani, ſeu a Nerva ad Valentem 32 libris: Duodeviginti tantum extant hodie, cæteri Archeotarum incuria periere: In ſtylo durus, & aſper, Tacitum imitandum ſibi propoſuit: at latinis verbis, inquit Bodinus (2), græce ſcripſit; Stylum improbat etiam Lipſius (3), ſed Fide, & Iudicio clarum nominat. *Quis compoſitione magis eſt inconditus*, inquit Salmaſius (4), *& lutulentus, quam Ammianus Marcellinus? quis phraſes umquam uſurpavit duriores inconcinniores, ac ruſticiores? ut homo græcus militaris, qui voces tantum latinas teneret, quomodo eſſent collocandae neſciret prorſus, loquitur*. Plura ſane profert, quæ alias, eorum præſertim temporum ſciri haud poſſent.

Satis

(1) In Valent. (2) Meth. Hiſt. lib. 4.
(3) In Not. ad Polit. (4) In Præf. de Hellen.

Satis apte de Germanorum, & Gallorum origine; moderate ſatis de Chriſtianis loquitur.

Septem libris Eccleſiaſticam Hiſtoriam, eorum ſcilicet, quæ imperante Conſtantino ad Iuniorem Theodoſium acciderunt, in ordinem digeſſit Socrates ſæculo a Virginis partu V. Utinam a ſcribendo abſtinuiſſet: Etenim quæ vera narrat, ex aliis Scriptoribus nota ſunt: in quibus ab aliis diſcrepat, falſitate redarguitur, & quum Novatianorum doctrinæ favebat, in dogmatibus, quod caput eſt, Eccleſiæ exponendis res immutat, ac pro ſuo ingenio refert.

Eccleſiaſticam Hiſtoriam libris novem complectentem res geſtas ab anno trecenteſimo viceſimo quarto ad annum quadringenteſimum triceſimum nonum edidit Hermias Sozomenus. Verum quod ab anno 420 ad 24 ſcripſerat, deperditum eſt. Praxim publicæ Pœnitentiæ, qua tunc temporis Romana utebatur Eccleſia, minute exponit, ac diſtincte deſcribit. Nonnulli ipſum criminantur, quod erroribus Novatianorum indulgeat nimis, ac faveat. Ut ſuſpectum habet ipſum S. Gregorius Magnus (1), ex quo nimis commendet Theodorum Mopſueſtenum Hæreticum. Vide

(1) Lib. 6. epiſt. 95.

Digitized by Google

Vide Caſſiodorum (1), & Photium (2), & Canum, qui hoc falſum eſſe aſſerit (3).

Ioannes Zonaras natione Græcus, profeſſione Monachus Ordinis S. Baſilii Annales in tres partes digeſſit, quarum Prima de Iudæis agit ab orbe ſcilicet condito ad Captivitatem Hieruſalem: Secunda de Romanorum tractat Republica, & Imperio ab Urbe primum condita ad Conſtantinum Magnum: Tertia ea deſcribit, quæ a Magno Conſtantino ad Alexium Comnenum evenere anno ſcilicet 1118. Latinitate eas donavit Hieronymus Wolfius: Edidit quoque opus de Œcumenicis, & Provincialibus Conciliis; Commentarios item in Apoſtolorum Canones; atque octo circiter tractatus: quæ in Bibliotheca Patrum extant. Vitio vertunt illi, quod in pluribus Dionem tranſcribat, teſte Grevier (4).

A Ioanne Comneno Alexii filio Hiſtoriam Græci Imperii libris 19. proſequutus eſt ad Balduinum Flandrum Nicetas Choniates, quam traduxit laudatus Hieronymus Wolfius inſertam in corpore Hiſtoriæ Bizantinæ. Quinque

(1) De Divin. Lect. c. 17. (2) Cod. 23.
(3) De Loc. Theol. Lib. 11. cap. 6. verſ. fin.
(4) Tom. p. 2. pag. 23. Storia degli Imp. Rom.

que primos eius libros latine vertit Petrus Morel Taurinenſis. Nicetæ ſtylus operoſus a Lipſio dicitur (1), ab aliis rudis, & difficilis intellectu. *At Res, & narratio ipſa*, ait laudatus Lipſius, *diſtincta, compoſita ſine vanitate, ſine ineptiis, Brevis quod ſatis ſit, & fida: Crebra apud eum, & opportuna monita: Iudicia non libera ſolum, ſed ſana*. Ipſi tribuitur Theſaurus Fidei Orthodoxæ. De hoc qui plura velit, adeat Leonem Allatium (2).

Hiſtoricæ Narrationis filum proſequutus eſt Nicephorus Gregoras, quod undecim libris confecit ab Urbe Capta 1204. ſcilicet ad annum 1341. Andronico Paleologo Iuniore Imperatore. *Iudicia eius*, auctore Lipſio, *crebra, & plerumque recta: Cauſſæ eventuum curioſe poſitæ: At ſuperfluit, & evagatur, & res, orationeſque miſcet indecore, imo inepte*. Ioannes Cantacuzenus (3) peſſime de Nicephoro hoc ſentit: ex eo fortaſſe, quod quas ipſe ſibi tribuit laudes, Nicephorus veraci hiſtorica narratione mendaces eſſe detexit. Quatuordecim quoque dedit opuſcula, quæ

G ſcho-

(1) In Notis ad Politic.
(2) De Nicetis.
(3) Lib: 4. Hiſt. cap. 24. & 25.

ſcholia habent in Tractatum de Inſomniis, quæ Turnebus anno 1553. vulgavit.

Decimoquarto vixit ſæculo alius eiuſdem nominis Nicephorus, qui Calliſtes dicitur, qui & ipſe Eccleſiaſticam in ordinem digeſſit Hiſtoriam ad Phocam uſque, ſeu circa annum 610. Deſpicitur a Theodoro Beza; quia hæc ſcribens triginta numerabat annos: at tanti a Cl. Labbè habitus eſt, ut non dubitaverit in Tractatu præfixo Hiſtoriæ Byzantinæ huius Auctoris apponere Catalogum, ubi nomina habentur, & ſeries Imperatorum, & Patriarcharum Conſtantinopolitanorum.

A fine Tripartitæ Hiſtoriæ anno 1130 Chronicon reliquit Sigebertus, quem magni faciunt Eruditi: agit de iis, quæ ab anno Chriſti 381. ad CIↃCXII evenere: Adiecta ipſi eſt Appendix incerti Auctoris ad annum uſque 1216. Aubertus Miræus Autuerpienſis Canonicus emendavit, atque iterum vulgavit.

Ætate Caroli Magni inter eruditiſſimos ſui ævi habitus fuit Paullus Longobardus Aquileienſis Eccleſiæ Diaconus, Deſiderii Italiæ Regis Cancellarius, cuius doctrinæ fama, Carolus M. devicto captoque Deſiderio, familiariſſime utebatur: quum vero deprehendiſſet Paullum fugam Deſiderii adornare,

nate, ſtatim in Tremirum inſulam procul ab illo relegavit. Ex Tremiro, inquit Platina (1), ad Aragiſium Generum ſuum Beneventanorum Ducem transfuga ſe contulit Paullus: tali crimine nihil commotus Carolus, nihil Pipinus; & licet Proceres, qui apud Carolum erant, & Pipinum, in ipſum invehrerentur, ne tantum facinus impunitum abiret, Duci veniam dedit, & Paullo: Beneventi quum moraretur Paullus, Aragiſii, & Adelbergæ uxoris rogatu ad conſcribendas Hiſtorias rediit; a fine Eutropii exorſus Res Romanas, ſeparatim Longobardicas ſex libris complexus eſt: Fidem iis, quæ narrat, Eruditi præſtant, ac præſertim in Longobardorum geſtis exponendis. Mortuo Aragiſio, Caſſinum ſe ultro contulit, atque in Cænobio vitam ſanctiſſime tranſegit.

Sæculo nono vixit Georgius Cedrenus, Græcus Monachus: is Annales reliquit ab Orbe condito ad Iſaacum Comnenum: At res ſine delectu, & ſine ordine narrat: Quia tamen eius auctoritate Eminentiſſimus Baronius, quæ refert, quandoque firmat; idcirco Quis ipſe fuerit, quo tempore vixerit, & quanti eius opus habeatur, adnotavimus.

(1) In Vita Adriani I.

Digitized by Google

Eodem Nono ſæculo, vel fortaſſe verius, ut aliis placet undecimo Svidas Græcus & ipſe Lexicon ſeu Dictionarium Hiſtoricum, & Geographicum publici iuris fecit, in quo plura, quæ in aliis Scriptoribus deſiderantur, & ex aliis monumentis erui non poſſent, habet; idcirco, & ſi non in omnibus accuratus ſit & diligens, in pretio eſt apud litteratos viros, & ſæpe citatur. Ludovicus Kuſter, quum Pariſiis moraretur, opus hoc contulit cum tribus MSS. quæ in Regia extabant Pariſina Bibliotheca, additiſque eruditiſſimis notis latinitate donavit, atque hanc ſuam editionem litterariæ Reipublicæ dono dedit: ob quam a Cantabrigienſi & Pariſina Academia, nec non a Boruſſiæ Rege, cui dicaverat, ſummos retulit honores.

Ioannes Villani Florentinus, qni ſæculo vixit XIV., Hiſtoriam Italico idiomate nobis reliquit a Nembrod ad annum reparatæ ſalutis 1348. Matthæus eius Frater eam eſt proſequutus: Filius Philippus Matthias ſuum & ipſe adiecit eruditum laborem, ſuumque Litterariæ Reipublicæ opus dono dedit. Videſis Bellarminum (2), & Gender (3).

Summum inter ſuæ ætatis Scriptores, inter Vete-

(1) De Script. Eccleſ. (2) Bibliot.

Digitized by Google

Veteres Mediocrem recenſet Lipſius (1) Franciſcum Guicciardinum Florentiæ anno ſalutis 1482 natum. Liberum ipſum in iudiciis eſſe, veracem in rebus exponendis, ab affectionibus immunem, niſi quod in Gallos, & in Urbinatem Ducem amarulentum fuiſſe notat Lipſius idem, & Moreri (2). In rebus enarrandis iuſto longior eſt, quippe minutiſſima quæque narrat. Eius Orationes nonnullæ languent, & aliæ ſolutæ vagantur. Poſtremi quatuor libri longe diſtant a ſexdecim primis, caſtigandi per Auctorem, ac limandi, ſi fata dediſſent; atque id in cauſa fuit, quod, ipſo vivente, prælo commiſſi non fuerint. Ioannes Baptiſta Adriani duobus & viginti libris eius proſequutus eſt hiſtoriam, ut habet Poſſevinus (3). Ludovicus Guicciardini ex Fratre Filius Hollandiæ Deſcriptionem, & Hiſtoriam non ſine laude edidit, quam latinitate donarunt Ioannes Brantius, & Raynerus Vitellius.

Eodem ferme tempore Paullus Iovius quinque ſupra quadraginta libris ad annum uſque 1544 hiſtoriam complexus eſt: Iudicio,

(1) In Not ad Polit.
(2) Le Grand. Dict. ver. Guiaciard.
(3) Bibl. ſelect. Lib. 56. cap 41.

ac veritate ambiguus eſt Lipſio loco citato: Malæ vero fidei ipſum habent Dominus de Thou, & Franciſcus de Beaucaire de Peguillon initio ſuæ hiſtoriæ, in iis præſertim, quæ ſua ætate evenere; Medicæis nimis ex profeſſo addictum. Eius orationes frigidas dicit Lipſius, & quandoque ineptas: ſtylum vero bonum gravem, nec ab Hiſtoria alienum: neque in Perſicis, & Turcicis rebus enarrandis, deſcribendiſque tam vanum, quam videri volunt; quippe quum ipſi conſonent Turcici Annales.

Inter eos, qui Romanorum Pontificum geſta litteris commendarunt (*a*), ſummas a nonnullis litteratis viris laudes retulit Bartholomæus, vel ut alii nominant, Baptiſta (*b*) Platina

(*a*) Pontificum Romanorum geſta ſcripſerunt Paullus Diaconus, Guido Ravennas, Sigerbertus, Hugo Florianus, Sicardus Præſul Cremonenſis, Gothifridus Viterbienſis, Vincentius Bellovacenſis, Landulphus Canonicus Carnotenſis, Sozomenus Præsbyter Piſtorienſis, Gervaſius Riccobaldus Ferrarienſis, Amalricus Angerius, qui opus perduxit ad 1316., quique rerum notitiam ex pluſquam ducentis Auctoribus ſe hauſiſſe in ſua Præfatione teſtatur.

(*b*) Graves nec pauci Scriptores *Baptiſtam*; alii nec

Digitized by Google

tina Cremonenſis, qui primis annis militiam ſequutus eſt, provecta dein ætate Florentiæ, Doctore Cl. Marſilio Ficini animum ad litteras adiecit. Romam venit, Pio II. Pontifice, cum Franciſco Cardinali Gonzaga inter Purpuratos a Pio cooptato: Tenui cenſu præditum, immo & egenum, epiſtola ad Papienſem ſe eſſe ingenue fatetur: Pii dein munificentia Abbreviatoris Epiſtolarum Apoſtolicarum munus ſibi comparavit. Poſt varios vero caſus, quos, Regnante Paullo II. perpeſſus eſt, a Sixto IV., qui Paullo ſucceſſerat, Vaticanæ Bibliothecæ præficitur anno 1373 (*a*) a quo Romanorum Pontificum Vitas ſcribere iuſſus eſt, ut teſtatur Gordonius (1) quas, eidem Sixto dicavit. De opere huiuſmodi

nec eruditione, nec numero impares *Bartholomæum* ipſum nominant. Marſilius Ficinus, qui Platinam Auditorem habuit *Bartholomæum* appellat. Inſcriptiones Epiſtolarum Platinæ ad Iacobum Cardinalem Papienſem & Iacobi Cardinalis viciſſim ad Platinam, quæ extant inter opera Volaterrani, *Bartholomæum* habent.

Barptolomæus ſcribere placuit Angelo Politiano, Siſto Senenſi, aliiſque.

(*a*) Præfecturam Bibliothecæ Vaticanæ nonniſi anno 1475 ipſi a Siſto IV. conceſſam fuiſſe dicendum

(1) In Opere Chronologico.

in diverſas abiere ſententias Litterati Viri. *Platina vir Clariſſimus*, inquit Iacobus Philippus Bergomas (1) *& in dicendo facundiſſimus egregium opus, & prope Divinum de Vita, & moribus Pontificum elegantiſſime confectum Sixto Pontifici obtulit.* Ipſum quoque commendant Abbas Trithemius (2), Alexander ab Alexandro (3), Volaterranus (4) Sabellicus (5), Franciſcus Floridus (6); Paullus Iovius (7), qui *Sacrati præſertim ordinis*, ait, *bonique mortales plurimum Platinæ manibus debent, quomodo eius ingenio labore ad exoptatam obſcuri ſæculi, nec ideo perituram lucem Pontificii Principatus actionum incorrupta Veritas nunciatur, quæ procul eloquentiæ illecebris uti pura, & incorrupta fi-*

de

dum potius cum Angelo Roccha, (8) poſt ſcilicet nuncupationem operis de Vitis Pontificum: quum de collata Bibliothecæ Præfectura in Præfatione eiusdem operis non meminerit.

(1) Lib. 6. & 15.
(2) De Scriptoribus Eccleſ.
(3) Dierum Genialium Lib. 3. cap. 9.
(4) Antrop. Lib. 21.
(5) Ennead. 10. lib. 7.
(6) In Apologia in calumniat. Ling. Lat.
(7) In Elogiis Viror. Illuſtr.
(8) De Biblioth. Vatican. tit. de Præfect.

Digitized by Google

de præfert, & cæteris elaboratis operibus (a) auget dignitatem.

Alii contra *Caute*, cum Barbaroſa (1) monent, legendum Platinam, *quippe quod aliqua in eo indignationis ſuſpicio in Pontificium honorem poſſit timeri, ex eo, quod tentans aliquando a Paullo II. ad Futurum Concilium appellare: in compedes, tetrumque carcerem co-*

(*a*) Dedit quoque *Contra Amores* dialogum unum ad Ludovicum Stellam Mantuanum. *De Optimo Cive* dialogos duos ad Laurentium Mediceum. *Panegyricum ad Beſſarionem Cardinalem Nicænum: Orationem de Pace Italiæ componenda, & de Bello Turcis indicendo:* ad Paullum II. poſt primam, & ante ſecundam eius captivitatem, ut mox dicemus. Item *De Naturis Rerum* Librum unum, ut habet (2) Poſſevinus & Trithemius (3). *Epiſtolarum* ad diverſos Librum unum. *De Vera Nobilitate* Dialogum cum Epiſcopo Tranenſi. *De Honeſta voluptate, & valetudine* Libros decem, quos ſexennio ante ſecundam detentionem elucubraverat, dum detinebatur iterum, miſit Cardinali Papienſi, ut liquido ex eius litteris colligitur. Hiſtoriam quoque ſui temporis exaraſſe, quam MSS. aſſervari apud Sereniſſimum Mantuæ Ducem, Auctor eſt Poſſevinus idem. Dum Turri arcta cuſtodia detineretur, Dialogum ſcripſit *de Falſo*

(1) De Iur. Eccl. Univ. Lib. 1. de Poteſt. Rom. Pont. capit. 2. num. 65. (2) Appar. Sacr.
(3) De Script. Eccleſ.

conjectus fuerit (a). *Pravum ipſum*, dicit Genebrardus, *ad Pontificum maculas notandas*.

Onu-

Falſo, *&* *Vero Bono* Libris tribus: colloquentibus Platina, & Rodorico Epiſcopo Calaguritano Caſtri S. Angeli Præfecto, quem Sixto IV. dein dicavit.

(a) Huius rei cauſſam ex ipſomet Platina, qui fuſe in Vita Paulli II. eam narrat, quamque pene ad verbum latine tranſtulit Cl. Nicolaus Angelus Caferri (1), excipiamus. *Pii beneficentia adiutus*, ait, *officium Abbreviatoris Litterarum Apoſtolicarum, quod vocant de Minori Parco, ſibi comparavit: Mortuo autem Pio, Paullus II. in eius locum ſuffectus, ſive quod ita pollicitus erat, ſive quod Pii Decreta, & Acta oderat, Abbreviatores omnes (erant ſeptuaginta), quos Pius in ordinem redegerat, tamquam inutiles, & indoctos, ut ipſe dicebat, exauctoravit. Erat illud Collegium refertum bonis, ac doctis viris: inerant Divini, atque Humani Iuris peritiſſimi, inerant Poetæ, atque Oratores; tentarunt tamen hi, ad quos res ipſa pertinebat, Pontificem e ſententia dimovere: atque Ego certe* (loquens de ſe Platina inquit), *qui horum de numero eram, rogando etiam, ut Cauſſa ipſa Iudicibus publicis, quos Rotæ Auditores vocant, committeretur. Tum ille torvis oculis me aſpiciens, Ita Nos, inquit, ad Iudices revocas? ac ſi neſcires omnia Iura in ſcrinio Pectoris noſtri collocata eſſe? Sic ſtat ſententia; loco cedant omnes; eant, quo volunt; nihil eos moror. Ponti-*
fex

(1) In Vita Platinæ præfixa Vitis Rom. Pontif. eiuſd. Plat. editis Venetiis a Franciſco Ginnami 1663.

Onuphrius Panvinius recenſitis Auctoribus nonnullis, qui de hoc argumento ante Platinam

ſex ſum; mihique licet pro arbitrio animi aliorum Acta reſcindere, & approbare. Hac vero tam immiti ſententia accepta, ut lapidem immobilem volveremus, obverſabamur die, ac nocte in foribus aulæ . . . . . Ego vero tanta ignominia excitus, quod mihi & ſociis meis coram non licebat, id agere per litteras inſtitui: Scripſi igitur Epiſtolam his ferme verbis: Si tibi licuit indicta cauſſa ſpoliare nos emptione noſtra iuſta, ac legitima, debet & nobis licere conqueri illatam iniuriam, iniuſtamque ignominiam. Reiecti a te, ac tam inſigni contumelia affecti dilabemur paſſim ad Reges, ad Principes, eoſque adhortabimur, ut tibi Concilium indicant, in quo potiſſimum rationem reddere cogaris, cur nos legitima poſſeſſione ſpoliaveris. Hæc *Platina*: *Paullus Officia Abbreviatorum extinxerat*, ſubdit ibidem Caſſerius, *integra prius cuilibet Abbreviatori pretii ſub Pio perſoluti reſtitutione facta, quod conſtat ex Coſtitutione Sixti IV.* Divina (1), (unde etiam liquet, erraſſe in hoc Dominum Ladvocat in ſuo Dictionario (*a*).) Platinæ temerarium auſum damnant Bzovius (2) & M. Antonius Cucchius (3).

Lecta

(1) Bullar. Tom. 1. Conſt. 16.

(2) Annal. Tom. 18. ad An. 1465. num. 21.

(3) Inſtit. Maiorum Lib. 2. tit. 3. de Conſ. num. 48.

(*a*) *Paolo II.* inquit, *ſucceſſore di Pio II. avendo annullate tutte le abbreviature*, ſenz' avere alcun ri-

guar-

Digitized by Google

tinam ſcripſerunt, eos ad verbum pene, elegantiori tamen ſtylo Platinam tranſcripſiſſe ait. *Ex his igitur omnibus Auctoribus*, verba ſunt Panvinii (1), *adiuncto Fratri Ptolemæo Lucenſi Ordinis Prædicatorum, qui ſub Bonifacio Octavo Romanorum Pontificum res geſtas inſigni opere*

Lecta Epiſtola Pontifex, ut par erat, excanduit, ſcriptoremque inconſultum in carcerem trahi iubet, quo compedibus, & quidem graviſſimis revinctus, (ut ipſe dolens refert) Media hyeme, ſine foco, celſa in Turri, & ventis omnibus expoſita coercitus fuit menſibus quatuor, inquit Cafferius, at quatuor & viginti menſibus ſcribit idem Platina in Vita Paulli I. *precibus Cardinalis Mantuani a carcere liberatur*: & hæc prima *extitit Platinæ calamitas, quam Voſſius cum ſecunda confundit*. Triennio Romæ, iubente Pontifice, qui ne Roma diſcederet, iuſſerat, moratus eſt: at dum ſperat ſuorum malorum, & coercitæ libertatis finem, in altius incidit ærumnarum pelagus. Coniurationis in Pontificem Paullum una cum Philippo Callimacho, & Pomponio Leto inſimulatus, ex ædibus Cardinalis Mantuani in Arcem S. Angeli coniicitur iterum, & in quæſtionem de coniuratione vocatus, nonniſi poſt annum iterum liberatur.

guardo alle ſomme, che ſi erano sborzate per la compra di queſte cariche, *Platina fece amare doglianze con troppa libertà &c.*

(1) Addit. Ad Vitam D. Petri.

Digitized by Google

opere conſcripſit, Platina, quæ de Pontificum uſque ad Eugenium IV. concinnavit, ad verbum fere, ſtylo paululum elaboratiore, aſſumpſit, quibus externa, & prophana ex aliis ſcriptoribus interponens, opus illud, quod de Romanorum Pontificum Vitis nuncupavit, conſtituit.

Nullus, ſi quid ſapio, nec magis verum, nec exactum magis de Platina protulit iudicium Cl. M. Alphonſo Ciacconio, qui & ipſe Vitas ſcripſit Romanorum Pontificum, & Cardinalium plane accuratiſſimas (a) *Succeſſit his,* in-

(a) Opus edidit Cl. M. Alphonſus Ciacconius ex doctiſſima S. Dominici familia de Geſtis Romanorum Pontificum, numeris omnibus abſolutum, a D. Petro ad annum 1600. Excerpſit ex trecentis nonaginta ſcriptoribus ea, quæ ſcripſit, accurato præiacto examine de eorum fide, diligentia, ac ſinceritate; atque ea, quæ commentum ſaperent & fabulam, reiecit, quæ ab unanimi illius ætatis ſcriptorum conſenſu firmata novit, admiſit: quæ dubia ipſi viſa ſunt, ut dubia Lectori examinanda reliquit. Opus deinde auxit Eruditiſſimus Auguſtinus Oldoinus Soc. Ieſu, quem Eximium Litterarum decus nominat Cafferius. Recuſum deinde fuit additis laboribus, induſtria, atque ſevero illuſtrium, atque eruditiſſimorum virorum iudicio, hoc titulo: *Vitæ, & Res Geſtæ Pontificum Romanorum & S. R. E. Car-* *dina-*

inquit, (1) *Bartholomæus Platina Cremonenſis vir profectò diligens, & multæ variæque lectionis, qui iuſſu Sixti IV. Papæ ante centum fermè & viginti annos Vitas omnium Pontificum ſcribere aggreſſus a B. Petro Apoſtolorum Principe ad Paulli II. Veneti Pontificatum pervenit, & eidem Sixto IV. Liguri editas nuncupavit. Verum dum profana, & peregrina tanto ſtudio proſequitur, atque externis totus incumbit, ſuſceptum propoſitum videtur deſerere, & non tam Pontificum Vitas, quam alienorum geſta deſcribere, circa quæ deferenda diffuſus, & amplus, circa proprium tamen Inſtitutum reſtrictus, Ieiunus, atq. contractus* (a) &

dinalium ab initio naſcentis Eccleſiæ uſque ad Vrbanum VIII. P. M. Auctoribus M. Alphonſo Biacenſi Ordinis Prædicatorum Pœnitentiario Apoſtolico, Franciſco Cabrera Morali, Andrea Victorelli Baſſanenſi Doct. Theol. Alia plura Victorellus, & Ferdinandus Vghellus Abbas Ordinis Ciſtercienſis Theol. ex MSS. præſertim monumentis addiderunt. Victorellus ſexcenta partim edita, partim MSS. monumenta vidit, Loca multa ex notis Cardinalis Bellarmini MSS., atque ex aliis eruditorum Lucubrationibus recognita reſtituit. Opus proinde omnium exactiſſimum ipſum habent Eruditi.

(a) Hoc in ſua ſcribenda Hiſtoria Romanorum

(1) Præf. ad ſuum opus. Pon-

Digitized by Google

& quod magis Pios offendit, Maledicus, & Conviciator acerrimus (a) multorum Pontificum,

Pontificum Platinæ in more poſitum eſt 1,) ut quo Regnante Principe, ille, de quo ipſi ſermo eſt, Pontifex ſalutatus fuerit, innuat: At dein in Principis illius moribus, regimine, bellis geſtis deſcribendis diſtinetur. Sic in Vita Lucii I. qui Pontificatum geſſit Gallo Imperatore, oblitus Lucii, bella deſcribit Galli, & Voluſiani filii contra Æmilianum, Electionem Valeriani, & Gallieni: Horum bellum cum Pacoro Perſarum Rege: Pœnas a Pacoro devicto Valeriano inflictas: Mores Gallieni: redit ad Lucium, vel ut melius dicam, aliqua innuit de Lucio. Vix ſalutatum dicit Honorium Primum Romanum Pontificem, atque ad Adoaldum Longobardorum Regem, atque Arioaldum, ad Heraclium Græciæ Imperatorem ſe ſe convertit: quæ ſane omnia nihil ad Pontificum Vitas attinent: Eamdemque ut plurimum methodum ſervat in cæteris Pontificum geſtis deſcribendis; quin & quandoque indicato vix Pontificio nomine, exterorum geſta deſcribit. Benedictum I. Tiberii II. Adoptivi Iuſtiniani ætate vixiſſe refert, charum Tiberio fuiſſe, ſupremum tandem obiiſſe diem: cætera de Tiberii virtutibus, Liberalitate ſcilicet, Religione, atque animi moderatione; deque iis, qui id temporis floruerunt, ſunt. Simile quid habet in Vitis Ioannis IV. Ioannis XVIII. Stephani VII. Ioannis XI. Leonis VII.

(a) Hac de re illum non ſemel redarguit Bellarminus

cum, quos ſola libidine detrahendi nihil tale commeritos (b) conviciis inſectatur, & petulanter

minus (1) & quidem merito; ſi quid enim in crimen in Pontificibus vocandum ipſi erat, mitiori, nec tam acri ſtylo, ut Iudex potius criminis in Stephani VI., Romani, Theodori II., Ioannis IX; Chriſtophori, Ioannis X., Benedicti VI., Paulli II. geſtis ipſe uſus eſt, ut Maſſonius notavit, qui (2) *Te vero*, inquit, *in Vita Paulli non ſequemur Platina, iratus enim & inimico animo ſcribere videris, remque Hiſtorico indignam facere, quem ira, & odio rapi indignum eſt*.

(b) Immerito Cafferius Ciacconium reprehendit, *quod nimis ſcilicet Platinam mordeat*, quod ut maledicum, & conviciatorem acerrimum multorum Pontificum exhibuerit. Cæterum ſi demus livido minus dente id feciſſe, negligentiſſimi tamen hiſtorici notam non effugiet: quippe & Damaſum II. vi, renuente Clero, & reluctante Populo, Pontificiam Sedem invaſiſſe falſo ſcribit; debuiſſet profecto Hermannum Contrattum (3), Lambertum Scafnaburgenſem (4), Othonem Friſingenſem eius ætatis Scriptores percurrere, quos conſulens, ut par erat, Damaſi Pontificis peperciſſet nomini, nec in eius temporis Pontifices declamaſſet. Quid falſi, quid mali, quid fabuloſi in Silveſtrum II. non effutit, ac ſine hæſi-

(1) De Script. Eccleſ.

(2) In Chronico.

(3) In Hiſtoria Germanica.

(4) Lib. 6. cap. 33.

Digitized by Google

lanter, atque procaciter mordet, & lacerat. Hæc Ciacconius. At ſi quid hiſce liceret addicere, Auctores raro, eorum opera, & loca fere numquam inſpexit; & in iis, ex quibus tranſcri-

hæſitatione narrat? Ipſum in Diaboli poteſtatem ſe tradidiſſe, malis artibus Rhemenſem prius, ac Ravennatem dein Epiſcopatum obtinuiſſe, ac tandem Summum Eccleſiæ Pontificatum, iuvante communi hoſte, ſuſcepiſſe, inito tamen prius cum ipſo pacto, ut poſt mortem in ipſius diaboli poteſtate futurus eſſet; & licet facti pœnitentem referat, in huius tamen Pontificis Sepulchro eius oſſa collidi, vehementerque agitari narrat, quamuis Pontificibus, quorum intereſt id examinandum reliquerit. Qua de narratione miratur Panvinius (1), atque Eorum vituperat deſidiam, qui huiusmodi ſcriptoribus fidem dederint: quum ex Guilielmo Bibliothecario, cuius opus ſub nomine Damaſi circumfertur, & Annonio (2), aliiſque didicerit ipſe Gilbertum, qui Silveſter II. Pontifex dictus fuit, Virum fuiſſe apprime doctum, & in Philoſophicis, & mathematicis præſertim diſciplinis verſatum, ipſum in Italiam primum ſupputationem induxiſſe per numeros Arabicos: At iacentibus tunc temporis in Occidente litteris, quum vix unus & alter Philoſophiæ, & matheſi operam navaret, ut ſceleſtus & magus ab ignavis habebatur. Illud hic minime præterierim Platinam diſceſſiſſe in his conſcribendis ex Guilielmo, quem

(1) In Not. ad Silveſtrum.
(2) De Geſt. Franc. Lib. 5. cap. 46.

pſit, ſeligendis non omnino accuratus, & diligens (*a*), ut hiſtorico par eſt; atque hinc, & falſa

quem percuriſſe ſane debuit, & qui quum ab Adriano II. ad Alexandrum II. res notaverit, Silveſtri quoque geſta conſcripſit; at hoc relicto, Fabularum Auctorem Martinum Polonum, de quo mox, libero pede, neſcio quo conſilio, ſequutum eſſe.

(*a*) In plurimis, & quidem in iis, quæ negotium, Pontificiæ faceſſit dignitati, Martinum Polonum ſequutus eſt. (Monitum tamen hic Lectorem volumus, duos extitiſſe ſic nominatos ſcriptores, Alterum, qui hiſtoriam Poloniæ exactiſſimam, virum a moribus honeſtiſſimis, a Doctrina, ab acri iudicio, & a muniis, quibus functus fuit, Oratoris ſcilicet ſui Regis apud Fridericum Imperatorem, commendatiſſimum; qui Martinus Cromerus Polonus, qui etiam Martinus Polonus dici conſuevit;) Alterum Martinum natione Polonum Monachum Ciſtelli in falſitatibus narrandis, fabuliſque condendis in Litteraria Republica non obſcuri nominis, qui Innocentii IV. Pœnitentiarius a D. Petro ad ſua tempora Romanorum Pontificum Vitas vulgavit. Ipſe ex ingenio Cleto Pontifici abſcribit Formulam illam: *Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem*: De qua fuſe diximus in Prima parte (1) Nullo item præeunte ſcriptore affirmat Alexandrum Pontificem decreviſſe, ut Oblatio ex Azimo fieret, & in modica quantitate: Quum nihil horum in Antiquis Alexandri Actis ſtatutum legatur. Nec ullus fuit per undecim ſæcula Auctor, qui hæc de Alexandro ſcripſerit, qua de re ſatis eru-

(1) Cap. VI. §. II. pag: 151.

Digitized by Google

falſa quandoque narrat, & fabuloſa (*b*) pleno ore bibit, & deglutienda Lectori proponit; ut eſt commentum de Ioanna Muliere, quam inter Leonem IV. & Benedictum III. collocat (*a*), quod & veriſimile dicit, & facile credendum.

H 2 Suam

erudite agit Eminentiſſimus Bona (1): Quin & Pagius (2) probat Azimorum uſum ad Euchariſtiam in Latina ſemper viguiſſe Eccleſia. Unus ipſe primus commentum ſcripſit de colliſione in ſepulchro oſſium Silveſtri II. Auctor Martinus hic etiam eſt Operis *De Rebus mirabilibus Romæ*, in quo mirabilia ſane, & contra fidem cæterorum dicit: Primum ſcilicet a Romulo fuiſſe Pompilium Patrem Numæ ſecundi Regis Romanorum: Numam Pompilium fuiſſe Tribunum Plebis: Portam Oſtienſem dicit Capenam: Poſt Arcem S. Angeli collem adeſſe; Pantheon fuiſſe Cibelis Templum: Anphiteatrum Templum Solis: Equeſtrem M. Aurelii ſtatuam eſſe Ruſtici cuiuſdam Tyburis: Equos in Quirinali a Philoſophis elaboratos: Templum Pacis Nocte Natalis Domini corruiſſe. Martinus quoque Primus Auctor fuit, ut ex Panvinio, ex quo fere omnia hæc hauſimus (3), mox dicemus, Commenti de Ioanna Romano Pontifice.

(*a*) Nihil magis inveriſimile, ut ex iis ordiamur, quibus narrationem claudit Platina, nihil eſſe difficilius,

(1) Lib. I. Rer. Liturg. cap. 23.
(2) In Breviar. R. Pontif.
(3) In Adnot. ad Vit. Rom. Pontif. Plat.

Suam protulit Chronographiam quatuor libris Gilbertus Genebrardus Rogoduni natus, Doc-

lius, ut credatur, pluribus ex ipſo rudi ineptoque narrationis contextu oſtendit Eruditiſſimus Panvinius, (1) atque ex temporum exacta ſupputatione mendacii arguit Auctorem. Primum fabellæ huius Inventorem, ex quo ſine examine alii tranſcripſerunt, Martinum Polonum Monachum fuiſſe ex eo colligit, quod nullus ante ipſum Ioannam hanc nominarit: nullus Pontificem nomine Ioannis, Leonem IV. inter & Benedictum III. collocarit. Omnium ſane ſcriptorum, qui ab actingenteſimo quinquageſimo quinto anno, quo ſcilicet Petri cathedram tenuiſſe Ioannam hanc fabulantur, hiſtoriam Pontificum ſunt proſequuti, nemo prorſus de illa meminit; Anaſtaſius quippe Bibliothecarius, qui ea tempeſtate vixit, inſuetum hoc inquam portentum ne innuit quidem: Ademarus Pariſienſis S. Hermanni Monachus qui paucis ab Anaſtaſio annis ſcripſit, quique non ſemel in ſua, quam vulgavit, hiſtoria, de Pontificibus mentionem facit, id ne a longe quidem indigitat: nec Annonius, qui & ipſe Cœnobii eiusdem Monachus, Ademari continuavit hiſtoriam, ea de re ne veſtigium quidemin ſuis Annalibus reliquerunt Reginon Abbas Prumienſis, Nec Hermannus Contrattus, Nec Lambertus Scafnaburgenſis Monachi ambo, Nec Otho Epiſcopus Phryſigenſis, nec Conraeus Lichtenauus Abbas Uſpergenſis, Nec Leo Morſicanus Epiſcopus Oſtienſis:

(1) Præf. ad hit. Rom. Pontif.

Doctor Pariſienſis, Cluniacenſis Monachus, ac tandem Aquarum ſextiarum in Gallia Nar-

ſis: quibus adde Libros Geſtorum Romanorum Pontificum Damaſi, Anaſtaſii Pandolfi Piſani, qui in Vaticana Bibliotheca extant, in qua ſi diligentius obſervaſſet Platina ſex Indices Romanorum Pontificum, faſſus & ipſe eſſet Martinum ſine monumentis, ſine ſcriptore, immo his ipſis, ſilentio ſuo, refragantibus, haec ex ingenio ſcripſiſſe.

Neque hic omittendum Portentum hoc Legi tum in Sigeberti Chronico, tum in uno ex ſex Catalogis Pontificum. At in utriſque in margine aliena manu adiectum a Galfrido, ut creditur, Monacho, qui poſt Martinum vixit, & Robertum, qui Sigeberti Chronicum ſupplevit, ex eo clare liquet, quod in vetuſtis, ſinceriſque Sigeberti exemplaribus omnino non legitur; & quod adiectum margine habetur, diverſi eſt characteris ab antiquo, quo totum Opus exaratum clare obſervatur. Qui plura de hoc velit adeat Adnotationes Panvinii ad Platinam.

Plurima hac de re erudita non minus ac recentia, quippe quæ inedita uſque adhuc, habentur in collectione Zaccariana (1).

(1) Diſſertazioni Varie Italiane a Storia Eccleſiaſtica appartenenti di Franceſco Antonio Zaccaria. Tom. 2. Diſſert. VII. Epiſtolare, o ſia Lettera all' Eruditiſſimo Sig. Abbate Giuſeppe di Novaes ſopra un Codice MSS. della Cronica di Martino Polacco, continuata da Fra Girolamo Albertucci de' Borſelli. pag. 297. Roma nella Stamperia Salomoni MDCCLXXX.

bonenſi Archiepiſcopus. Opus ſane a litteratis viris commendatum. Duo primi libri res geſtas quatuor annorum millium continent: reliqui, quæ ad annum Chriſti Domini 1599. His plura addita ſunt ex Chonographia Illuſtriſſimi Arnoldi Pontici Epiſcopi Baſatenſis.

Honuphrius Panvinius Veronenſis, verba ſunt Cl. Ciacconii (1), *Inſtituti Eremitarum S. Auguſtini acerrimus, & indefeſſus Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, & Antiquitatis omnis ſcrutator quatuordecim Pontificum Vitas a Sixto IV. ad Pium V.* (a) *ſub cuius Pontificatu vixit & obiit, Platinæ etiam Adnotationes adiecit: Epitomam præterea Pontificum ſeparatim edidit, quæ eorumdem Electiones, & Cardinalium Creationes dumtaxat continebat, aliquot inſignis gentilitiis ipſorum adiunctis, ſed adeo vitioſa, & depravata, ut longo ſtudio adhibito*

(a) De Panvinio, eiuſque eruditione, deque Pontificum Vitis, quas ubi Platina deſierat, ſupplevit, aliiſque eius operibus, fuſius in Prima huius noſtri operis parte (2) diximus, ſingillatim nunc de duplici eius Epitoma, ne quid huic argumento deeſſet, Iudicium Ciacconii adiicere placuit.

(1) Præf. ad litt. Rom. Pontif.

(2) Pag. 40.

Digitized by Google

bito vitæ poſſit reſtitui: cuius rei gratia illius editionis valde ipſum pænituit, & furto ſurreptam, & in lucem immaturius datam conqueritur. & certe ipſius abortus potius cenſenda, quam partus. Quum mox aliud de eadem re compendium meditatus multos errores, qui in priore editione ſurrepſerant, in poſteriore emendavit. Neutra tamen Epitoma aliquid præter Electiones Pontificum, & Creationes continet Cardinalium, & inſignia ipſorum gentilitia, quæ tantopere confuſa fuerunt, & perturbata, & multa etiam falſa, ut in priore editione prodierant, iiſdem erroribus quibus autem ſubiacere permiſit.

Nuperrime Pontificum geſta vulgavit Cl. Ioſephus Novaes: immo dum hæc ſcribimus, ultima pars, quæ a Pio III. ad Pium VI. quem Deus Incolumem ad commune totius Eccleſiæ bonum ſervet, adhuc ſub prælo eſt: Ipſe quæ ad Pontificem, eiuſque regimen attinent, paucis, dilucide, maturo conſilio, aptaque methodo complectitur: ſi quid controverſum in Adnotationes reiicit, in quibus & Auctores, & opera, & loca, qui ad hæc uſque tempora ſcripſeruut pro utraque parte indigitat. Opus ſane eruditum, ac merito ſummo Litte-

rariæ Reipublicæ plauſu exceptum. Dederat iam Auctor idem Opus de Pontificis electione (*a*) in quo quidquid ab obitu Pontificis iure antiquo, ac novo fieri conſueverit ad alterius creationem, nulla prætermiſſa eruditione, refert, atque multa, quæ ad rem faciunt ſuam interſerit, deſcribitque.

Locus hic eſſet, ut de Cæſare Cardinali Baronio, Spondano, Pagio, & Rinaldo, qui omnes vel Baronii hiſtoriam proſequuti ſunt, vel eam adnotationibus illuſtrarunt ſermo fieret: at quum de his in prima parte diximus (1), libenter ad alios non ignobiles Scriptores gradum facimus, quorum alii Eccleſiaſticam tantum, alii Univerſalem Hiſtoriam literis mandarunt.

Anno reparatæ ſalutis 1640. ortum habuit Claudius de Fleury, qui communi doctorum Virorum ſuffragio inter eruditiſſimos ævi ſui habitus eſt: At *ſciendum* (2), inquit Ioannes Daniel Gruber, *duos huius nominis Præſules noſtra ætate floruiſſe in aula Pariſienſi doctrina*,

(*a*) Iuriſconſultus Acatholicus ex Gallico in Latinum vertit Idioma opera omnia Cl. Fleury, una excepta Eccleſiaſtica Hiſtoria.

(1) Pag, 14.

(2) Præfat. ad Inſtitut. Canon. Eiuſdem Fleury

na, moribus, meritis, officiiſque pares. Alter Choyſii de Fleury Foroiulenſis in Provincia ex-Epiſcopus Regiæ pueritiæ Magiſter; & quod iam fama fert Purpuræ Romanæ candidatus: Alter Claudius, de quo nobis diſſerendum. Natus is eſt Pariſiis gente nobili togata, Patre Cauſſarum Patrono ſagaciſſimo. Adpulit animum a teneris ad ſtudia Humanitatis, ad Hiſtoriam, Prudentiamque Iuris, ac denique ad diviniorum litterarum ſanctiſſimam diſciplinam, quibus artibus omnibus, quum ſatis excultus, ſubactuſque videretur, admotus eſt adoleſcentiæ Fratrum Regii ſanguinis Principum de Contii erudiendæ: In qua Paleſtra Noſter tanta eruditæ pietatis, ac moderationis ſpecimina dedit, ut ipſe potiſſimum eligeretur, cui cum cæteris educatio, & Inſtitutio filiorum Delphini Principum iuventutis crederetur. Tantorum in hoc Inſtitutionis officio defunctorum laborum præmium tulit Loci Dei Abbatiam, quam tamen dimiſit ſimul atque regio beneficio Prior Argetelienſis factus eſt, pluralitatem beneficiorum, quam damnavit in aliis, evitaturus. Membrum fuit Academiæ Pariſienſis cui uberior Linguæ Francæ cultura propoſita eſt. Denique ab obitu Ludovici XIV. electus eſt, qui Regi Chri-

Chriſtianiſſimo Ludovico XV. eſſet a Confeſſionibus, quod munus nonniſi perfectiſſimis Presbyteris credi conſtat. Sic igitur ferme ſemper in Aula vixit, ſed in Aula veluti in ſolitudine inter Libros, & Pulpita delituit, donec abdicato paullo ante Regiarum Confeſſionum munere die 14. *Iulii* 1723. *fato fungeretur octogenario maior.* (*a*).

Plura ipſe dedit opera (*b*) ſummo excepta uni-

(*a*) Vide Dupin In Biblioth. Script. Eccleſ. Sæc. XVII. pag. 101.

(*b*) Opus quoque dedit De Selectu, & Methodo ſtudiorum: Catechiſmum Hiſtoricum: de Moribus Iſraelitarum: De Moribus Chriſtianorum: Inſtitutiones Iuris Eccleſiaſtici, quæ primum 1677., deinde 1638. prælo commiſſæ fuerunt, poſtremo 1722. recuſæ, quibus Adnotationes adiecit Iuſtus Henvingius Boehmerus Acatolicus Iuriſconſultus, & latinitate, ut diximus, donavit Ioannes Daniel Gruber Acatholicus & ipſe, qui in huius Operis præfatione hæc habet: *De cætero nihil eſt, quod verear, ne diverſa ſacra, quibus Auctor addictus fuit pretium, Libelli minuant, quia Romanis Ritibus initiati Canonum ſtudio præ cæteris incumbere ſolent, & Noſter potiſſimum plenus eſt bonæ frugis: Nam & de Primatu Papæ tam ambigue loquitur, ut eum magis deſtruere, quam adſtruere videatur: & de Falſis decretalibus ſincerum fert Iudicium: Nec diſſimulat propriæ vulnera Eccleſiæ, corruptioneſque, & morum, ac diſciplinæ de-*

Digitized by Google

univerſe a Litteratis viris plauſu; At Hiſtoria Eccleſiaſtica Pariſiis anno 1742. edita, quæ viginti voluminibus quatuordecim priorum ſæculorum geſta complectitur, maximo eſt in pretio apud multos. Eius dicendi genus vernacula ſua lingua, eos, qui legunt, non tenet modo, ſed ſine ſatietate etiam delectat. Acutus idem ipſe, & Popularis in cogitatis: in ſententiis brevis, & ſubtilis, abundans rationibus in iis præcipue, quæ in Lectorum animo defigere ipſi mens eſt: facilius id, ut aſſequeretur diſquiſitiones nonnullas modo uni, modo alteri ex libris, ex induſtria præfixas voluiſſe, animadverterunt ſagaciores Critici, quibus non tam aditum ad ea, quæ deinceps narraturus eſt, aperit, quam Lectorum animos ſolerter pertractans, excipienſque, in ſuam ſententiam vel imprudentes perducat. Ipſum inſuper notant, quod commendans Veterem Eccleſiæ diſciplinam, aperte ſatis, & audacter, & hic pluries, & aliis in operibus (*a*) præſentem aggrediatur.

Hanc

depravationes ingenue fatetur, & agnoſcitur haud dubie a Noſtratibus (Heterodoxis ſcilicet) *inter Teſtes Veritatis, qui noſtra ætate vixere, maximos referendus.*

(*a*) *Cave itaque* (verba ſunt Fleury (1) latine a Gru-

(1) In Præfat. Canonic. Inſtitut.

Hanc veluti iniuria (*a*) ab Eccleſia immutatam refert: ex hac depravatos, ac in peius im-

Gruber tranſlata) *a nobis expectaveris, quod vulgo Practicam beneficialem vocant, hoc eſt, Præcepta Noviſſimorum Canoniſtarum, quibus artibus Beneficia Eccleſiaſtica vel acquirenda, vel conſervanda ſint, ad quæ plerique vel ambitione, vel avaritia trahuntur, eluſa Veterum Canonum ſanctitate, & ſalutari Diſciplina; Quin mihi propoſitum eſt renovare, atque commendare Veterem diſciplinam, eiuſdemque convenientiam cum recta ratione, ac cum ipſo Evangelio demonſtrare, quam qui recte cognoverit, ille non poterit non eamdem amare, eorumque temporum, quibus illa viguit, prædicare felicitatem: Viguit autem illa diutius, quam vulgo traditur, quod in Hiſtoria mea Eccleſiaſtica demonſtratum eſt: Longe magis autem conſentaneum eſt pro Regula ſectari, quod Eccleſiæ placuit, & per Duodecim Sæcula obſervatum eſt, quam quod Quinque poſterioribus Sæculis Eccleſia toleravit, atque emendare ſatagit.*

(*a*) Eamdem fuiſſe in naſcente, & adoleſcente Eccleſia, & adulta eſſe Poteſtatem diſciplinam immutandi nemo unus in Catholica Chriſti Eccleſia eſt, qui neget, ad illamque ſpectare diſciplinam pro rerum, ac temporum varietate hoc vel illo modo variare. *Regulæ Sanctorum Patrum* ait S. Gregorius (1) *pro Tempore, Loco, Perſona, & Negotio, inſtante neceſſitate, traditæ ſunt*. S. item Leo (2) *Sicut quædam*

(1) In Cap. *Neceſſe eſt*. Diſt. 29. & Cap. *Regulæ* ibid. (2) Epiſt. 95.

immutatos repetit Chriſti fidelium mores; eamdem in nefaria crimina relapſam ab abolitis Pœnis canonicis non ſine ſui animi mœrore deflet (1). Romanorum Pontificum Auctoritatem in nonnullis, non a Christo Domino ſtatutam (*a*), ſed a ſæculo octavo auctam per fal-

dam ſunt, inquit, *quæ nulla poſſunt ratione convelli* (Fidei ſcilicet dogmata) *ita multa ſunt, quæ aut pro conſideratione ætatum, aut pro neceſſitate rerum oporteat temperari*. Innocentius I. (2) *Poſtquam*, ait, *Dominus Noſter pacem Eccleſiæ reddidit, obſervatio prior durior, interveniente miſericordia, inclinatior eſt*. Hi ſane ante duodecimum ſæculum Petri Cathedram tenuerunt. Cæterum quando, qua ratione, & quæ ſit præhabenda diſciplina ad Epiſcopos, ad Concilia, ad Romanum ſpectat Pontificem: quod ſi his omnibus id expedire noſtris hiſce temporibus viſum eſt, ſubmiſſo contiſcendum animo eſt: præſertim poſt Tridentinum, in quo fuſe de ſatisfactione actum eſt, quodque antiquam facili negotio innovare potuiſſet diſciplinam.

(*a*) Novam in Eccleſia eſſe, inquit, ac multis probare ſtudet Diſquiſitione 4. num. II. ut viam ſibi ſternat ad id; quod libro 61. num. II. narrat: Novum ſcilicet & inſuetum, & nonniſi Sæculo XI. inve-

(1) Diſquiſ. 2. num. præſertim 16. præfixa Lib. 60. Diſquiſit. 4. num. 15. & 16. quæ ante Librum 75. legitur.

(2) Epiſt. ad Exuperium Epiſcopum Toloſanum.

Digitized by Google

falſas Decretales quaſdam ab Iſidoro quodam confictas nihil hæſtitans affirmat, ex quibus ſum-

vectum, Epiſcopum Romanum Legatos ad Concilia Provincialia, ut ſimul cum Epiſcopis iudicent, mittere.. Verum canone 5. Concilii Sardicenſis habiti anno ab Incarnatione Domini 347. Hæc uncialibus, apertiſque verbis leguntur. *Quod ſi is, qui rogat cauſſam iterum audiri, deprecatione ſua moverit Epiſcopum Romanum, ut de latere ſuo Presbyteros mittat, & ſi decreverit mittendos eſſe, qui præſentes cum Epiſcopis iudicent habentes eius auctoritatem, a quo deſtinati ſunt, erit in ſuo arbitrio*. Ex Decretalibus Iſidori Pontifices ſibi poteſtatem vindicaſſe probat ex epiſtola 42. alias 47. (1) ad Galliæ Epiſcopos, ſcripta de Depoſitione Rhotadi Epiſcopi: ubi Nicolaus I. inquit nullius roboris eſſe acta Concilii, ex quo ſine Romani Pontificis Auctoritate condita, quod ut firmet, inquit Fleury, doctrinam refert Leonis Magni Pontificis decretales haſce admittentis, ex quibus tanta Auctoritas Romano Pontifici tribuitur. At quum Decretales haſce falſas, confictas, purum, putumque Iſidori Mercatoris commentum eſſe probarit, omnibus nervis firmat, defigitque in Lectorum animis non a Chriſto, ſed ab illorum temporum tenebris ea fuiſſe: quod ſane tacitus prætcrit ipſe, ſed Lectori colligendum, inferendumque relinquit. At ne partium ſtudio abripi videretur, omiſiſſe, non debuerat ea, quæ deinceps fuſe ſubdit, Conſuetudinem ſcilicet Eccleſiæ, qua Epiſcopi *in maioribus Urbibus con-*

ſummum obveniſſe Eccleſiæ malum ſæpe repetit, & ſæpius; atque idcirco totus eſt in earum

conſtituti ſollicitudinem ſuſciperent ampliorem, *per quos ad Vnam Petri Sedem Vniverſalis Eccleſiæ cura conflueret*, ad id firmandum verba protulit Sardicenſis Concilii (1) *Ad Caput, id eſt, ad Petri Apoſtoli Sedem de ſingulis quibuſque Provinciis Domini referant Sacerdotes*. Cauſſas vero Epiſcoporum inter illas ſine dubio numerandas eſſe, inquit Nicolaus in Laudata epiſtola, quæ Maiores a Sacris Canonibus nominantur: quod ſane nec ipſe quidem inficiari auſus fuit Dominus Fleury (2) ex quibus iure irritam eſſe ſententiam a Concilio contra Rotadum prolatam. Conſuetudinem hanc, Maiores ſcilicet Cauſſas ad Apoſtolicam Sedem deferendas eſſe, innovatam, atque obſervandam eſſe iuſſit Innocentius I. (3) qui anno a Chriſti Domini Nativitate 402. Univerſam regebat Eccleſiam, inquiens id in more iam poſitum eſſe in Eccleſia. Sedulo advertendum monet Cl. Ioannes Marchetti (4) ne in vado hic hæreat Dominus Fleury, quum alibi (5) Hiſtoriæ ordine compulſus, epiſtolam Synodalem Sardicenſis Synodi retulerit, ea, quæ modo attulimus verba, prorſus omittit. Simile quid obſervatur, quum referens Epiſtolam Paſchalis II. ubi legi-

(1) In Synodali epiſtol. ad Iulium I.

(2) Lib. 63. num. 11. §. *On trove*.

(3) Apud Labbe, Tom. 2. Concil. col. 1250., & Couſtant Epiſt. Rom. Pontif. Tom. 1. pag. 749.

(4) Saggio Critico pag. 67. Art. I. §. VI.

(5) Lib. 12. num. 36.

Digitized by Google

rum falſitate aperienda, ut omnibus armis, præſidiiſque deſtituti, qui Pontificiam poteſtatem

legitur, Conciliis (1) Auctoritatem a Sede Apoſtolica tribui; Confidenter nimis ſubdit: A falſis Decretalibus tale quid Sedi Apoſtolicæ conceſſum eſſe: quum prioribus Eccleſiæ temporibus ne veſtigium quidem. At meminiſſe debuerat Gelaſium I. qui anno a Virginis partu 492. (trecentis annis ante fictas Decretales, quas ſæculo VIII. vulgatas eſſe refert) Eccleſiæ præfuit Univerſæ, ad Epiſcopos Dardaniæ ſcripſiſſe (2): *Prima Sedes* . . . unamquamque Synodum & ſua Auctoritate confirmat, & continuata moderatione cuſtodit pro ſuo ſcilicet *Principatu* &c. Ubi iterum monet diligentiſſimus Marchetti (3), Dominum Fleury hanc Gelaſii epiſtolam Lib. 30. num. 36. referentem, omiſiſſe verbum *Unamquamque*, quod in omnibus codicibus legitur, tamquam ſi peculiarem illam Gelaſius probaſſet Synodum, nec generalem, de quavis Synodo pronunciaſſet conſuetudinem t quam ſane ex Iulio I., qui 337. Eccleſiam regebat, noverat Gelaſius, ut ex Sozomeno (4) compertum ſit; Iulium ipſum non tam legem de hoc ferre, ſed latam iam ante ipſum extitiſſe refert; atque id ex Apoſtolica Traditione Iulius ipſe innuit Epiſtola ad Orientales (5). Verum fuſius ubi de Con-

(1) Lib. 65. Num. 50.
(2) Epiſt. 13.
(3) In Adnotat. ad §. VIII. Sag. Crit. pag. 104.
(4) Lib. 3. cap. 9.
(5) Apud S. Athanaſium Apolog. 2.

Digitized by Google

tem tuentur illud idem, quod & ipſe, ſentire cogantur: At fruſtra in hiſce defatigatur, tum quod ante ipſum non unus ut falſas repudiavit, reiecitque Iſidori Decretales, unde nihil eſt, quod quaſi de novo ſibi plaudat invento: tum quod ii, qui de Pontificis auctoritate contra ipſum ſentiunt, aliunde quam confictis Iſidori Decretalibus eam demonſtrare profitentur aperte.

Sexdecim uſque adhuc Volumina addidit Anonymus quidam Gallus, qui eius proſequutus eſt Hiſtoriam duorum tantummodo ſæculorum narrationem complectentia. Nec mirum ſibi imitandum propoſuit Platinam: In Civilem Galliæ Hiſtoriam, ut plurimum fuſo calamo, dilabitur, luxuriaturque, minuta quoque & levia non deſcribens modo, ſed & repe-

Conciliis agemus. At quum noſtri hic non ſit Inſtituti errata, vel ſubleſtam Cl. Fleury fidem arguere, hæc innuiſſe ſufficiat. Qui plura de his velit, adeat Anonymum Gallum (1) & acre Iudicium Eruditiſſimi Ioannis Marchetti (2).

(1) *Obſervations Theologiques, Hiſtoriques, Critiques* duobus Voluminibus Avenione editis.

(2) *Saggio Critico ſopra la Storia Eccleſiaſtica del Sig. Abate Claudio Fleury*, ubi plura habet notatu, & ſua eruditione digna.

tens (1). Romanis Pontificibus non parcit, eorum Auctoritatem minuere conatur: id ut felicius ipſi ſuccedat, quandoque Auctoritates ſibi accommodat, quandoque eos ſummopere commendat, qui in eadem ſententia ſunt, ut Carolum de Moulin, quem maximum nomine virum pluribus in locis dicit (2), quemque Romæ inviſum iniuria refert. At ſibi non conſtans, ipſum in Catholica Eccleſia natum, Calviniana lue infectum, Calviniſmum profeſſum eſſe (3), & neque Catholicum, neque Calviniſtam, neque Proteſtantem fuiſſe refert; ſupremum tamen obiiſſe diem catholica dogmata profitentem (5): paullo vero poſt (6) notat, in ſuis adnotationibus in quatuor Evangeliſtas plura docuiſſe Calvini doctrinam olentia, quæ non conſtat revocaſſe. Res ut plurimum ſine tabulis, & monumentis narrat, & ſi qua ſunt, quæ cogitatis, narrationibuſque ſuis adverſentur, una inficiatione, nullo prolato rationum momento, ſuam tuetur ſententiam, & ſiqua addit, convicia ſunt in Adverſarium, & probra

(1) Lib. 128. num. 99. & 100.
(2) Lib. 168. 169, 170.
(3) Lib. 170. n. 16.
(4) Ibid. num. 17.
(5) Ibid. num. 16.
(6) Ibid. num. 17.

Digitized by Google

bra (1). Hæc, aliaque innuit Cl. Marchetti loco citato: de quibus, ſi, num vera ſint, ambigat Lector, utraque conferat, ac veritatem pro alterutra parte expendet.

Petrus Bembo Leonis X. Romani Pontificis a ſecretis, a Paullo III. in ſacro Cardinalium Collegio cooptatus, præter alia Venetiarum Hiſtoriam latine ſcripſit, quæ ab elegantia in dicendo ab eruditis commendatur. Scaliger (2) tamen ſollicitudinem nimiam pro Ciceronianis verbis, quibus tantum uti maluit, reprehendit. Iuſtus vero Lipſius minimi eius Hiſtoriam facere videtur: *De Petro Bembo aliquid addam* inquiens (3): *Illuſtri dignitate, & fama Vir fuit, quam tamen Hiſtoria ſua Veneta apud me non auxit: Tacet in Narrationibus, vel friget. In verbis affectatiunculas habet Materie, atque Viro ſerio parum dignas: Nulla vox, niſi ex Tulliano, aut Iuliano penu, & quæ ſic dici non poſſunt (quippe nova, vel iis ignorata) miro verborum ambitu comprehendit: Ipſa etiam tota ſcriptio, & formulæ ſic compoſitæ, quaſi hæc omnia Romæ geſta, & Republica illa ſtante. Sunt in quibus*

(1) Lib. 112. num. 38.
(2) In Hyperſcript., ſeu Lib.6. Poet. p.800.
(3) In Not. ad Polit.

Digitized by Google

bus rideam, ſunt in quibus indigner, & quum tam curioſe a verbis ſibi caverit, reperio alibi, quæ non dicam Tulliana non ſint, ſed vix Latina.

Univerſam totius Hiſpaniæ hiſtoriam protulit Dominus Ioannes de Ferreras natione Hiſpanus, Regiæ Bibliothecæ Præſes, doctrina, diligentia, iudicio ætatis ſuæ nulli ſecundus, quam Inviĉtiſſimo Philippo V. Hiſpaniarum Regi Catholico nuncupatam Dominus d' Harmelly ex Hiſpano translatam idiomate in Gallicum, additis perpetuis adnotationibus, iiſque eruditiſſimis, eidem piiſſimo Philippo Regi dicans iterum, Hiſpanam gentem ab Antiquitate, ab armorum gloria, ab Litteratis, quos protulit in omni diſciplinarum genere viros, a Catholicæ Fidei ſplendore nulli prorſus nationi poſthabendam eſſe in præfatione demonſtrat eruditiſſime. Cl. vero de Ferreras in duabus, quas præmittit præfationes, alteram primæ, alteram ſecundæ parti, docte ſapienterque, atque aurificis lance dotes perpendit Hiſtoricorum, qui de Hiſpaniæ regionibus ſcripſerunt: deinde quidquid ex Polybio, Diodoro Siculo, Livio ad Zoſimum uſque notatum reperit, & quidquid deinceps ſive ab Ambroſio Morales, a Stephano Caribay, a Ioanne Mariana, aliiſque

que recentioribus hiſtoricis vel relatum, vel illuſtratum, vel univerſe de Hiſpania, vel de ſingulis eius regionibus additum percurrit, mirum in ordinem digerit, non omiſſa exactiſſima temporum ſupputatione, & diligenti Chorographia, ubi antiquas cum recentibus Hiſpaniæ regionibus conferens examuſſim reſpondere docet. Acta, Eventus, rerumque Variationes, abditaſque earumdem Cauſas exponit: nec eos præterit, qui vel a litteris, vel ab armis, vel a morum probitate magnam ſibi laudis ſegetem collegerunt: quæ omnia quum affabre diſponat, ſuoque in lumine collocet, atque libero iudicio referat, iure optimo a Doctis viris, ac Triwltienſibus præſertim (1) maximopere commendatur.

Magnum ſibi nomen apud litteratos viros, quibus opus perlegere contigit, in exponendis Auguſtæ Mariæ Thereſiæ Ungariæ Reginæ geſtis Cl. & Eruditiſſimus Dominicus Cerulli comparavit. Ipſe quidem & quæ in privatam Perſonam, & quæ in publicam quadrant virtutes, ac dotes, præterea Chriſtianas æque, ac politicas, quibus illa non minus tot populorum Princeps, ac Parens, quam Caſtrorum Dux, ac Mater Europæ univerſæ, atque adeo

 uni-

(1) 1742. Mart. & Apr. Iter. 1743. Iul. & Aug.

univerſo Orbi præluxit, adeo Eleganter, Preſſe, Graphice velut in tabula pinxit, ut verbum addere verearis, ſi ſapis, aut detrahere: adeo perfecta ſunt omnia, atque abſoluta. Quo avidius Litterata Reſpublica, ac iuſtius tanti Auctoris opus aliud expectat, atque urget in dies.

Præter veterum Populorum eruditiſſimam Hiſtoriam, exacta quoque a Roma condita ad Pugnam Actiacam Rerum geſtarum monumenta dedit Dominus Carolus Rollin. Ea ab Actiaco Bello ad Conſtantinum proſequutus eſt Dominus Crevier laudati Rollini Auditor, Gallus uterque, uterque Diligens in perſcrutandis, examinandiſque antiquis Scriptoribus, ex quibus antiquarum rernm memoriam collegerunt, Sapiens uterque, acer non in iudiciis tantum de factis Hiſtoricis prolatis, ſed & de Antiquis ipſis Scriptoribus, quorum characteres veluti in tabula expreſſos vides: Uterque Hiſtoricum habet dicendi genus: quos imitatus eſt Dominus Le Beau, qui a Conſtantino II. ad captam Conſtantinopolim res geſtas eſt complexus.

Doctum ſane Hominem eſſe Cl. Hieronymum Tiraboſchi indicat ipſius Litteraria Hiſtoria ſcripta Italice. Quanto plauſu ea excepta

pta a Litteratis viris fuerit, hoc ſatis, quod nondum Mutinæ ab Auctore ſuo edita, pluribus in Locis, confluentibus, qui pacta ſocietate typis mandanda curant, ſingula Volumina recuſa videantur (*a*). I 4 Exa.

(*a*) Quum de Litteratis Hiſpaniæ viris in ſua hiſtoriam protuliſſet Cl. Auctor, ipſi, collectis undique monumentis, repoſuit Ingenioſiſſimus Xaverius Lampillas, atque iniuria iudicium illud a Tiraboſchio ut ut erudito viro prolatum fuiſſe quatuor voluminibus nec inſipienter, nec paucis oſtendit. Acute dimicatum eſt utrinque: Utriuſque nec vulgare ingenium, nec popularem eruditionem Litteraria Reſpublica demirata eſt. Verum ſi res ex iis æſtimetur, qui ætate hac noſtra, vel duobus proxime ſuperioribus ſæculis floruerunt Hiſpani Martinus Azpilqueta, Gaſpar, & Ioannes Baptiſta Villalpandus, Dominicus, & Petrus Soto, Auguſtinus, & Arias Barboſa, Ioannes, & Franciſcus Lugo, Gabriel Ennaus, Franciſcus Suarez, Melchior Canus, Gabriel Vaſquez, Ioannes Tarquemada, Rodericus Arriaga, Alphonſus Toſtatus, Antonius Auguſtinus, Antonius Solis de Ribadeneira, Franciſcus Queveda de Villegas, Antonius Auguſtinus, Ioannes Ferreras, aliique non tot quin plures in omni prorſus Facultatum, ac Scientiarum genere, illud nobis tenendum certo eſt non ingenio tantum Hiſpanam gentem valere, ſed litteris quoque, & Doctrina, ut ex editis præclaris operibus liquet; quidquid in oppoſitum Georgius Hornius (1) ſcripſerint, Ioan-

(1) In Orbe Politico pag. 511.

Exactiſſimam Orinochenſium Populorum(*a*) hiſtoriam contexere cœpit Cl. Philippus Salva-

Ioannes Emmanuel Giron (1), & Ioannes Georgius Walchius (2), qui redarguuntur facile ex Nicolai Antonii (3) teſtimonio. Quæ ſane doctrina magis, magiſque augebitur, & effloreſcet inviçtiſſimo Carolo III. Regnante, quem Deus ad commune populorum bonum, & litterariæ Reipublicæ augmentum ſoſpitet, qui, ut ſtimulos ſtudioſæ iuventuti adderet, ſex annuas, nec exiguas penſiones trecentorum ſcilicet Florenorum, ut habet Venetum rerum geſtarum Diarium (4), decrevit, ſingulas auditoribus ſingulis, qui vel in Eccleſiaſtica diſciplina; vel in Iure Naturæ, & Gentium, & in Morali Philoſophia; item in Matheſi, vel in Phyſica experimentali, vel in Linguis Latina, Græca, Hebraica, & Arabica poſt maturum, atque diligens per doctos ſingulis facultatibus viros habitum examen prærogativam obtinuerint: atque hoc anno Matriti, idem fortaſſe in poſterum pro aliis maioribus ampliſſimæ ſuæ dominationis Academiis decreturus.

(*a*) Quamplurimi ſunt Orinochenſes Populi, ita dicti ab Orinoco, cuius accolunt ripas. Eſt autem Orinocus Americæ Meridionalis fluvius, qui e lacu, ut quidam vocant, *Caſſipa* (non multum diſſito a magno Lacu *Parime*) ortum habet; ac multis flumini-

(1) In Meth. Geographi p. 1. pag. 250.
(2) In Hiſt. Ling. Lat. cap. 12. §. 5. pag. 706.
(3) In Biblioth.
(4) Num. 50. Notizie del Mondo 21. Giug. 1783.

vator Gilii, cuius iam tria prodiere volumina. Nihil in hoc opere, quod ad hiſtoriam attinet, deſideratur. Duodeviginti, quibus Auctor in ampliſſima Orinochi regione annis commoratus eſt, diligentiſſimus fuit in rimandis illarum Provinciarum locis, atque agreſtium illorum populorum moribus. Omnia, & ſingula, quæ ipſe ſuiſmet inſpiciebat oculis, in adverſaria referebat, & ſi quid vel dubium, vel non ſatis perſpectum ipſi erat, ſcitabatur a Senioribus, eos rogabat, urgebat, ut rem ſciret, & pro acri, florentique, quo a natura donatus eſt, ingenio, attente iterum obſervabat, ne quid minus certum in ſuum referret Diarium. De ſincera in rebus exponendis fidelitate, nulla cauſſa eſt, quæ ipſum ad Lectores decipiendos impellat: quippe non ſimultates, non odium, non metus ipſum deterrent: non amicitiæ, non amor, non ſpes ulla alliciunt, ut a veritate ne latum, ut aiunt, unguem diſcedat, deflectatque. Romanus ipſe, & Romæ ſcribit. Si in aliquo ab antiquis Scriptoribus peccatum eſt, emendat: ſi quid non ex-

nibus auctus, per vaſtiſſimas variarum Nationum regiones, duorum menſium itinere delapſus in mare Septentrionale multiplici oſtio ſeſe exonerat prope Inſulam Trinitatis.

expoſitum, ſupplet:ſi quid immutatum,monet. Quin & ad explicandas elegantiores earum gentium linguas gradum facit, aptamque aperit methodum eas ediſcendi, dum nova illas indagine obſervat, cum cæteris Europæ linguis conferens; in quo miram viri eruditionem maximis extollit laudibns Cl. Schlozer, Hiſtoriarum Profeſſor Gottingenſis in Epiſtola ad Authorem miſſa, quæ in eius opere (1) inſerta legitur.

Hæc de Hiſtoricis. Qui plura velit, adeat Bodlnum, Zuingerum, & qui Catalogum dederunt Scriptorum, qui & univerſales ſcripſerunt Hiſtorias, & eorum, qui de ſingulis Gentibus, Nationibus, immo & Regnis memoriam poſteritati mandarunt.

(1) Tom. III. Append. 2. pag. 352.

C A-

CAPUT II.

De Veterum Numis.

CAnones de Hiſtoricis iure optimo excipit de Veterum Numis, ſeu Numismatis (*a*) brevis Diſquiſitio: Hi enim Teſtes ſunt conſtantes, quos edax tempus non ita faci-

(*a*) Diſtinguunt nonnulli Numiſmata a Numis: Numiſmata monetam percuſſam eſſe volunt ad ſervandam egregie factorum memoriam: Numos vero pecuniam autumant fuiſſe, qua Populi in commercio uti conſueverunt. Sebaſtianus Erizzo (1) cenſet omnes veterum numos numquam pecuniæ loco fuiſse: At Antonius Auguſtinus (2) oppoſitum demonſtrare contendit: Utramque opinionem ad trutinam fuſe revocavit Cl. Chamillart (3). Dominus Mahudel (4) opinatur Numiſmata quoque (Italice *Medaglioni*) pro pecunia fuiſſe, atque indiſcriminatim & Numos, & Numiſmata dici poſſe.

Dicitur Moneta, quia nota inſcripta, aut ſigni impreſſio de Auctore, Pondere, & valore nos admonet: Huc facit, quod Iuno moneta dicta ſit, quod ſcilicet ab illa per Anſeris vocem de imminenti peri-

(1) Diſcorſo ſopra le Medaglie degli Antichi.
(2) Ne, Dialogi.
(3) In Memoriis Trewltianis an. 1711.
(4) Tom. VII. Acad. Pariſienſ. de Inſcript.

Digitized by Google

facile abſumit: Ingenui, qui nec minis corrumpi valent, nec precibus. Synchroni, ut

pote

periculo Arcis capiundæ moniti fuerint Romani, teſte Tullio (1). Dici conſuevit quoque pecunia, quia loco permutationis pecudum Numus ſucceſſit, & ut aliquibus lubet pecudis figura in Ære percutiebatur.

Numi, & Nummi in veteribus Monumentis legimus. Perperam nonnulli poſt Svidam cenſent a Numa Romanorum Rege Numis nomen factum eſſe: etenim Numæ tempeſtate nec fuſos, nec percuſſos Romam habuiſſe Numos, teſtatur Plinius (2), qui de Servio Tullio Sexto Romanorum Rege ait: *Primus ſignavit Æs*: additque: *antea rudi* (ſcilicet ære) *uſos Romæ Timæus credidit*. Quod & firmat Feſtus V. inquiens: *Patres ſolebant iam inde a Romulo numis auri, atque argenti ſignati ultramarinis uti*.

Sacri aliqui Interpretes a Lamechi filio Tubalcaim eos agnoſcunt: alii ad Abrahami tempora referunt, primumque Numum fuiſſe Siclum (certe primus hic in Sacris litteris memoratur) ex Geneſi colligunt, ubi appendiſſe Abrahamus pecuniam diſerte dicitur (3); quamvis oppoſitum ex ipſa loquendi formula doceat Calmet, quia ſignata pecunia numerari ſoleat non appendi; ſed pace tanti Viri, tanta non eſt huiuſmodi coniectura, ut manus det, qui contra ſentit: potuit quidem retineri loquendi formula, re iam mutata, ut in multis hodieque fit, exempli cauſſa *ſcrire fœdus*, & ſex-

(1) Lib. 1. de divinat.
(2) Lib. 33. cap. 3.
(3) Geneſ. 33.

Digitized by Google

pote qui eodem, quo res peracta eſt tempore, iubente Principe, præſidente Magiſtratu, univerſo Populo inſpectante, percuſſi ſunt: Ipſis vera firmatur Hiſtoria; aberrans emendatur, dubia ſtabilitur, & plura, quæ Veterum ſolertiam fugerant, Numorum ope deinceps detecta ſunt (*a*).

At

& ſexcenta his ſimilia, præſertim quum addant ſacræ Litteræ ipſam pecuniæ ſpeciem, nempe quadrigentos ſiclos argenti probatæ monetæ publicæ.

Profani Scriptores alii aliter de prima Numorum ætate ſentiunt: Pollux, & Strabo Phidonem Eleum, aut Argivum auctorem numi faciunt. Herodotus Lydiis: Lucanus Tono Lucaniæ Regi: Macrobius, & Eutropius Iano: Plinius Servio Tullio Regi inventi huius in Latio laudem adiudicat, ut ſupra dictum eſt.

(*a*) Quanti ad Hiſtoriam, Chronologiam, & Geographiam illuſtrandam: Ad vera Imperatorum nomina habenda, ad præclara eorum facinora noſcenda valeant veteres Numi ex Cl. Bandurio, & Vaillant colligi facile poteſt, quorum primus cum mancam tertii Sæculi Hiſtoriam vidiſſet, ex Numis veterum dumtaxat vindicandam eſſe, atque hauſtam reipſa fuiſſe affirmat: Alter, Ioannes ſcilicet Vaillant, explicans Numum (1) Antonini Pii, in cuius adverſa parte legitur: TEMPL. DIVI AUG. REST. COS. III. *Quantam Hiſtoriæ*, inquit, *lucem afferant numi diiudicent*

(1) Tom. 2. Num. Imp. Rom. pag. mihi 563.

At quoniam non defuere qui Numos Adulterinos in Litterariam Rempublicam turpis lucri

cent illi, qui apud Capitolinum tot ædificia Romæ ab Antonino Pio extructa, aut eſtaurata legunt : De Templo enim D. Auguſti ab eo reſtituto nullam haberent, niſi per numos notitiam : Duo erant Auguſti Templa, unum in IV. Regione ipſi, & Romæ dicatum, Alterum in VIII. Tiberio cœptum. Iterum referens aliud Numiſma Antonini Pii, in cuius poſtica parte eſt: LIBERALITAS AUG. ait, *diligentius, quam Hiſtorici Imperatorum Liberalitates, ſeu Congiaria nobis indicant: Illi Antoninum Pium octies ea populo diſtribuiſſe nos edocent : Capitolinus illa non enumerat :* Congiarium Populo dedit : Militibus Donativum addidit, *tantum inquiens*. Addi immo debet Congiarium IX. quod in præclaro Invictiſſimi feliciter Regnantis Stanislai Poniatowſchi Poloniæ Regis Muſæo obſervavimus, quod recens Vir omnigena litteratura eruditus, ac in veterum Numorum Scientia præſertim ævi noſtri nulli profecto ſecundus Cl. Canonicus Albeltrandi collegit, curatque.

Loquens alibi Vaillant de Imperatore, qui Poſthumo ſucceſſit, quique poſt paucos menſes, Victorino inſtante, interfectus & ipſe fuit, ait: *Scriptores alii Lolianum, alii Ælianum, alii L. Ælianum dixere; ſed eius verum nomen Lælianum numis debemus*.

Numis quoque acceptam refert Litteraria Reſpublica coordinationem Romanæ Hiſtoriæ Huberti Golzii, & Stephani Pighii : Inveſtigationem Antiquitatum Rerum Italicarum Caroli Sigonii, Faſtos Honuphrii Pan-

Digitized by Google

lucri cauſſa inferre auſi fuerint: idcirco qua ratione genuinos a vitiatis noſcere, quaque eos methodo interpretrari valeamus, hic paucis exponere neceſſarium duximus.

A νόμος Græce, Latine Lex, vel quod a lege ſtatutus ſit Pecuniæ valor, vel quod a Pecunia legem hauriat ſuam, Commercium, Numus dictus fuit: Romanos hanc vocem a Dorienſibus Siciliæ, & Magnæ Græciæ incolis habuiſſe ait Iulius Pollux.

Quid

Panvinii: Numis debet Eminentiſſimus Noriſius (1) Epocham feliciter ſtatutam Syromacedonum: ex ipſis implicatos Chronologiæ nodos explicuit Harduinus (2), Seleucidarum imperium, atque Ægypti Regum geſta: Numis Illuſtriſſimi Aſſemani in ordinem digeſta eſt, atque illuſtrata Edeſſera Hiſtoria: ac Numiſmatum ope contexuit Ioannes Vaillant, & quatuordecim Regum Chronologiam aperuit ſeriem, de quibus paullo uberius infra.

Qui plura de Rei Numariæ utilitate velit, opus evolvat eruditiſſimi Ezechielis Spanhemii de *Præſtantia & uſu Numiſmatum*: *Theſaurum Rei Antiquariæ*: *Commentarium* Comitis Mediobarbi, & opus Cl. Froelik *de utilitate Rei Numariæ veteris*.

(1) In Epoch. Syromacedonum.

(2) Lib. de Num. Herodiad. populorum, & Urbium.

Digitized by Google

§. I.

Quid ad Rei Numariæ ſtudium accedenti in anteceſſum neceſſarium ſit?

Canon I. Ut facile quis diſcernere Numos, corumque Epigraphen expedite legere, nec non intelligere valeat, Numos ipſos cum imaginibus comparet, quæ ab Auctoribus referuntur, qui de ipſis egerunt (*a*).

Canon II. In his ipſis Auctoribus tractandis, pervolutandiſque attentius ii legendi, qui diligentiores habentur, qui ſcilicet exacte in quo Cimeliarchio numi extent, num bracteati ſint, aliaque huinſmodi accuratius referat (*b*).

Ca-

(*a*) De his ſcripſerunt Erizzus, Auguſtinus, Urſinus, Chriſtiani, Vicus, Oiſelius, Seguinus, Occus, Oliveirus, Triſtanus, Pedruſi, Mediobarba, Sirmondus Patinus, Harduinus, Tobert, Bergerus, Froelik, aliique.

(*b*) Diligentiores habentur Bimard, Maffei, Haym Mahudel, Paſſeri, Chamillard, Belley, Pellerin, Noris, Freolik, Kel, Banduri, Geſſner Pembrock, d' Ordil, Parata cum notis Torremuza, Tiepoli, Eckell, Neumann Canonicus Viennenſis, præ cæte-

ris

Digitized by Google

Canon III. Hiſtoria, Populorum moribus, Mythologia &c. ne vacuus ſit: licet enim Numi lumen hiſtoriis præbeant; hiſtoriæ tamen ad Numos explicandos viam aperiunt (*a*).

ris vero Ioannes Vaillant, qui poſtquam Angliam, Hollandiam, atque terdecies totam peragravit Italiam, opus edidit Numiſmatum Auguſtorum, Auguſtarumque, & Cæſarum in Coloniis percuſſorum: *In hoc opere*, inquit Auctor vitæ laudati Vaillant, *Vetus Geographia illuſtratur: Urbium ſitus adſeritur, earum Conditores indicantur: Viri Illuſtres, qui natalitia illis debent: Dii Tutelares in illis culti &c.*

Hiſtoriam Regum Ægypti litterariæ Reipublicæ donavit, atque quatuordecim Regum Chronologiam texuit 294. annorum ſpatio a Ptolomœo Lagi filio, qui poſt Alexandrum Magnum illud tenuit imperium, ad Cleopatram uſque ultimam Lagidarum Reginam. Numiſmata quoque dedit Imperatorum, Auguſtarum, & Cæſarum græca populorum, qui ſub Romano detinebantur imperio, ex omni modulo percuſſa. Opus, quod Comes Mediobarbus pollicitus erat. In Hollandia quum eſſet, librum edidit inſcriptum: *Numi antiqui Familiarum Romanarum perpetuis Interpretationibus illuſtrati*. His adde Florez de Numis Hiſpanis; Bellori *de Numis Apium inſignitis*. Bonanni de Numis Pontificiis.

(*a*) Quanti autem interſit appoſitus Canon noſces ex eo, quod Cl. Iobert Epigraphen MAG. AUG. interpretatus eſt Mausoleum Cæsaris Augusti quod

Canon IV. Non ex ingenio Inſcriptiones, ſive quæ in Antica parte, ſive quæ in Poſtica, ſive in Area (*a*), ſive in exergo ſunt, interpretari licet, ſed ad veroſimilitudinem quoque attendendum (*b*).

Ca-

quod ſane ita non intellexiſſet, ſi cum Cl. Bimard (1), aliiſque animum adieciſſet ad id, quod Dio Hiſtoricus refert (2), quod ſcilicet Nero *Obſoniorum Mercatum Macellum nuncupatum dedicavit*, ex quo legendum cenſent Macellum Augusti, atque inter non obvios Numus hic maioris formæ habetur.

Iobert item & Harduinus compendiarias notas C. V. T. T. in Tarraconenſi numo legerunt Colonia Victrix Turrita Tarraco: Auguſtinus vero Colonia Victrix Tyrrenica Tarraco; At quum Strabo (3) Togatam Tarraconem nominaverit melius alii Colonia Victrix Togata Tarracona ſunt interpretati.

(*a*) Area Numi eſt locus in medio, ubi typus eſt: Exergon eſt locus imus ſub Figura, ubi etiam quandoque literæ eſſe ſolent, atque lineola typum inter & literas ducta videtur. Si voces aliquæ habentur in medio typi, dici conſueverunt Inſcriptiones: ſi voces ſint circumpoſitæ, nominantur Legendæ, ſeu Epigraphæ.

(*b*) Non inſuave huius rei exemplum profert Cl. Froe-

(1) Tom. 2. pag. 172.
(2) Lib. 61.
(3) Lib. 3.

Digitized by Google

Canon V. Legendis Inſcriptionibus, & Epigraphis aſſueſcat Rei Numariæ ſtudioſus; & ſi res dubia ſit, cum aliis indubiis, & bene ſervatis numis comparet: accidit enim quandoque, ut rubigo temporis vetuſtate inducta, vel aliquid abraſerit, vel ſuperinduxerit ali-

Froelik (1), quod eiuſdem Auctoris verbis proferam: *Sane*, inquit, *Vir eruditiſſimus R. P. Harduinus quum de aliis pluribus, tum de celebri illo Gallieni numo aureo agens, in quo legitur:* GALLIENÆ AUGUSTÆ UBIQUE PAX *non erat cur prodigioſam iſtam expoſitionem daret, qua e ſingulis fere literis tamquam initialibus ſingulas voces confecerat.* GALLIENO AUGUSTO EDUA AUGUSTA URBIS SERVATORI TRIUMPHALEM ARCUM EREXIT VICTORIA BEATITATEM IMPERIO QUIETEM EDUÆ PEPERIT AUGUSTI X. ſeu Decennalibus.

Ubi ad rem Academici Triwltienſes (2): *Hæc etſi ingenii felicitate, & antiqui ſermonis lepore ſuavia, atque euiuſmodi ſint, quæ ita concepta fuiſſe mereantur, quis tamen credat (ſi longior etiam hiſce ſub literis lateret oratio), eam integre, riteque poſt tot ſæcula ingenii viribus quempiam aſſecutum eſſe, aut etiam potuiſſe? Quis vero non hic potius, etſi ne id quidem omnino certum ſit, lapſum Sculptoris arguat, qui Ortographiæ fortaſſe non ſatis gnarus, & ſoni ſimilitudine deceptus Gallienæ Auguſtæ, pro Galliene Auguſte formaverit?*

(1) Pag. 372.
(2) 1729. Iuin art, 63.

quid, unde aliam pro vera nota inſpiciamus: ſic Dominus Pellerin legit Βον pro Θον, in quodam Numiſmate, quod collatum cum aliis bene ſervatis, indubiæque fidei Θον legebatur, ex quo illud vetuſtate corruptum creditum eſt.

§. II.

De Numiſmatum Antiquitate, & Præſtantia:

Canon I. NOn ex præſtantia Auri præ Argento & Ære, ſed ex eorum Raritate Numiſmata æſtimantur, vel quod imaginem Principis, qui non diu vixerit præſe ferant, vel aliquod peculiare egregium ab ipſo factum exhibeant: Sic Othonis æreus numus pretioſior eſt, quam Aureus, Peſcenii longe dignior ex aere, quam ex argento.

Canon II. Cæteris paribus maiori in pretio ſunt qui Maximi ſunt Moduli præſertim Auguſti caput ipſius præferentis, Tiberii cum eius capite, Agrippinæ Iunioris, Opelii, Macrini, atque Elagabali, quia rariores ſunt:

Canon III. Præſtantiores erunt, ſi non triti, & raſi, ſed bene ſervati ſint, ut Epigraphe facile legi poſſit, & Typum bene cuſum referant.

Ca-

Canon IV. Quo plures ſunt in Numo Figuræ, pluris habentur, ut eſt Probus cum duodecim figúris: item ſi duo ſint Capita in Antica alterum, alterum in parte Poſtica, ut Titus ex una parte, Veſpaſianus ex altera. Quod ſi coniunctio Figurarum rara ſit, nec in aliis Numis obſervetur, præſtantior hic cæteris erit, ut Commodus in Antica parte, & Criſpina in Poſtica: Elagabalus, & Annia Fauſtina. Præhabendus pariter eſt, qui integram faciem obverſam exhibet, quam qui eius dimidiam.

Canon V. Præferuntur ii, qui integram Inſcriptionem habent, quam qui decurtatam, ut VICTORIA AVGVSTORVM. FORTVNÆ REDVCI, quum ut plurimum in aliis obſervetur VICTORIA AVGG. FORTXNÆ RE, ex integris quippe aliæ decurtatæ intelligi tuto poſſunt, præſertim ſi obſcuræ ſint, & non obviæ Inſcriptiones.

§. III.

De Numorum Varietate.

Ex Varietate Antiquitas dignoſci poteſt. Varietas eſt ex Forma, ex Materia, ex Signis.

Numorum Forma fuit primum Virgula oblonga ferrea, æneave variis diſtincta globulis ad Libras, vel uncias indicandas: Hiſce Quadrata ſucceſſit figura, ut obſervavit Eruditiſſimus Montfaucon (1): A Quadrata ad ovalem Numi tranſiere figuram, ut refert citatus Auctor (2), Arigoni (3), & Gori (4): Ab Ovali tandem ad Rotundam.

Romanorum Numorum Antiquitas prima eſt a Servio Tullio: Inde Conſulares: tandem Imperiales.

Imperium conſideratur ut Antiquum a Iulio Cæſare Auguſto ad Poſthumum uſque, anno circiter Chriſti 260: A Poſthumo ad Auguſtulum, ſeu Romulum Auguſtum, qui ab Odoacre anno Chriſti 476 privatus fuit vita, conſideratur ut Medium: ut Recens ab Odoacre ad Conſtantinopolim a Turcis captam anno a Virginis partu 1453.

Primis temporibus ex typis valor diſtinguebatur; Caput biceps Iani Aſſem ſignabat: Semiſſem Caput laureatum Iovis: Caput laureatum Mulieris Trientem: Caput Herculis cum

(1) Ant. explic. T.3. Tab. 79.
(2) Ibid. T.3. Tab. 48.
(3) T.1. Tab. 21. num. 81.
(4) Muſ. Etruſc. Tab. 197. num. 2.

Digitized by Google

cum pelle Leonis Quadrantem: Sextantem Caput Mercurii cum Petaſo: & unciam Caput plerumque Romæ, vel Victoriæ. In omnibus a poſtica parte erat vel Navis, vel Navis Roſtrum, ut habet Plinius (1). Nota æris fuit ex una parte Ianus geminus, ex altera Roſtrum Navis: In Triente vero, & Quadrante Rates: quod firmat Macrobius (2) *Quum primum*, ait, *quoque ære ſignaret (Ianus) ex una quidem parte capitis ſui effigies, ex altera vero Navis exprimeretur, quo Saturni memoria ad poſteros propagaret: Æis itaque fuiſſe ſignatum hodieque intelligitur in aleæ luſu, quum pueri denarios in ſublime iactantes Capita, aut Navim luſu teſte vetuſtatis exclamant*. Hinc Turnebus, (3) *Quadrans Ratitus dicitur, quod, ut Feſto, & Plinio lib.* 33. *cap.* 3. *ſcribitur, in eo eſſet ſcripta Ratis figura: igitur Ratitus eſt rate notatus, & inſignitus*.

Canon I. Si Remotioris antiquitatis Numi nec Navim habeant, nec Roſtrum, hos non Romæ, ſed alibi cuſos fuiſſe noſces, quod ex pulchriori typo, quam Romanus eſt, etiam coniicitur aliquando. Rurſus horum quamplures

(1) Lib. 33. cap. 3.
(2) Saturnal. Lib. 1. cap. 7.
(3) Adverſ. Lib. XX. cap. 30

res ad tempus Cæſaris, & Auguſti referuntur, quum non idem erat exacte typus (*a*).

Canon II. Argentei Bigam, aut Quadrigam habuere, teſte Plinio (1), unde Bigati, aut Quadrigati dicti ſunt: quemadmodum etiam Victoriati a Victoria Bigæ, aut Quadrigæ addita. Habuere præterea Romam Galeatam a fronte, a tergo Caſtorem, & Pollucem haſtas in manibus tenentes: quod ſi hos non habeant typos, decidente iam Republica, percuſſos fuiſſe dices (*b*).

Canon III. Numi Incuſi, niſi tales fuerint ex errore Monetariorum, maximæ ſunt Antiquitatis, nec ſpernendi (*a*). Ca-

(*a*) Prima imago Hominis viventis fuit Cæſaris a Triumuiris Monetalibus numis impreſſa.

(*b*) Primus Numus Argenteus percuſſus Denarius fuit, qui denis aſſibus, ſeu libris æreis quoad valorem reſpondebat: Denarii partes fuere Quinarius quinis aſſibus reſpondens: Seſtertius, qui duorum Aſſium cum dimidio valorem æquabat, dictus proinde Seſtertius, quod duos aſſes, & ſemis tertii aſſis importaret, notatuſque fuit lineolis 115., quae poſtea coniunctæ tranſuerſa linea fuere HS. Plura præſertim de Seſtertio, quem dividunt in Maiorem, & Minorem, vide apud Gronovium integro Tomo de Pecunia Veteri.

(*a*) Incuſi ii dicuntur, quorum altera pars eſt Con-

(1) Lib. 33. cap. 8.

Canon IV. Tempus Reipublicæ finem inter, & Auguſtum indicant, ut plurimum, Numi, qui vel dentati ſunt, vel Serrati (*b*).

Canon V. Numi, qui effigiem percuſſam habent ſupra aliam iam præexiſtentem, ad Reipublicæ tempus non pertinent. Non maximi tantum moduli, ſed minimi etiam numi repercuſſi obſervantur, ut ſunt Numi Græciæ (*c*).

Ca-

Concava, Convexa altera: atque id ex eo, quod primi Artifices typos non bene tractare norint: Horum plures Peregrini ſunt, vel antiquiſſimarum Civitatum Italicarum.

(*b*) Poſt Auguſtum nullus dentatus, vel ſerratus extat Numus: tunc enim temporis ante ſcilicet Auguſtum plures quum eſſent Falſarii, qui argenti folium ſuper æs ducebant, factum eſt, ut in gyrum dentibus ſerræ inſtar munirentur: facile enim tunc deprehendi poterat, num Maſſa integra argenti eſſet.

(*c*) Illud eſt inter Græcos Numos repercuſſos, & Romanos diſcrimen, quod Græci argenteos, & æreos numos repercutiebant, Romani vero æreos tantum: Rurſus in Græcorum repercuſſione imprimebatur imago Principis, Divinitatis, Animalium, Heroum &c. Romanorum vero Monogrammata ut plurimum, & ſiglæ, ſeu literæ abbreviatæ, ſimulque colligatæ, ut XX in Numo Auguſti, Auguſtus Pater: XX Aulus Vitellius, vel Veſpaſianus Auguſtus: in Numo Neronis SLCS ſacræ Largitionis, vel

Sacri

CANON VIII. Bracteati , ſeu Pelliculati Numi (*a*) ſinceræ Vetuſtatis ſunt , nec umquam a Recentibus Falſariis hoc tentatum eſt .

CA-

Sacri Largitores : In Iuſtino Iuſtiniano , & Tiberio II Ā Tiberius Auguſtus TCLANP Tiberius Claudius Imperator : in Numo Germanici PAT̄ . Pater .

De Repercuſſionis cauſſa alii alia : Iobert autumat Signum valoris aucti ; Boze valorem auctum quidem , ſed certis datis occaſionibus , ut ſolutio operariis publicis : Mahudel id accidiſſe ex inopinata electione alicuius in Imperatorem , quippe quum præſto non eſſet Materia æris repercutiebantur antiqui Numi : Firmat id , ex quo ſub Auguſto legitur nomen Tiberii , ſub Caligula Claudii , vel etiam occaſione Largitatis : Nam ſub Iuſtino , Iuſtiniano , & Tiberio II. legitur Sacræ Largitiones , vel ſacri Largitores .

(*a*) Dicuntur Pelliculati , Bracteati , Subærati Ferruminati , quia ſupra æs tenuis argenti Lamella ducebatur . An ſubærati ſint , facile deteges , ſi leviter Numi oram incidas , illico enim æs apparebit : At cum ſagaciores Falſarii in ora , ſeu Numi labro craſſiuſculum appoſuerint argenti folium : tunc ſcalpro tentabis : Callidiores & alii circulo Numi argenteum aptarunt circellum : dein lamella totum contexerunt Numum , ut ſi labrum incidas , argenteus operiatur circellus ; at ſi id ſuſpiceris, vel aream tentabis , vel acuto , ſubtilique ferro oram ipſam penetrando circellus ſeſe aperiet . Cl. Froelik Diſſerta-

tio-

Canon IX. Nerone imperante pondus Auri imminutum fuit, quare eius ætatis ſunt Numi minoris quam antea ponderis; at quum ſub ipſo adulteratum non fuerit, ſed adulterari cæperit ſub Regibus Gothis, adulterini ex Auro non ad Neronis, ſed ad Gothorum Regum tempus pertinent (*a*).

Canon X. Spernenda non ſunt Numiſmata, ſeu potius Signa quædam Plumbea ſuis notata ſignis, typiſque: ſiquidem ad Hiſtorias illuſtrandas non parum facere exiſtimat Litteraria Reſpublica (*b*).

§. IV.

tionem edidit, qua de Numis Bracteatis, ſeu Subæratis agit accurate ſatis, & erudite. Non omittendum quod etiamſi Numi Bracteati antiqui ſint, ut ex Morelli habet Iobert (1); attamen ut recte eruditiſſimus Bimard (2) *Hiſtoriam non modo non illuſtrant, imo & confundunt, quippe & ignorantia, & ſollicitudo, & Typorum defectus typum pro typo alio ſupponebant; ita ut quæ geſta erant ſub uno Imperatore alii accommodarent, & Averſæ partis Adverſæ non reſpondebant Inſcriptiones, remque magis confundebant, quia non propriæ.*

(*a*) A Roma condita 547. annis circiter, & ſexaginta duobus ab Argento, cuſum fuit Aurum Romæ, teſte Plinio loco ſupra laudato.

(*b*) Plumbeos hoſce exiſtere Numos in præſentia nul-

(1) Inſtruct. II. p. 42.

(2) Tom. I. p. 346.

Digitized by Google

§. IV.

De Numorum Sinceritate, & Antiquitate.

TRiplici potiſſimum modo Falſi Monetarii Litterariam Rempublicam, ac Rei Numariæ præſertim ſtudioſos turbare auſi ſunt, vel Numos ſcilicet eorum invehendo, qui numquam extitere: vel Anticam unius Numi partem cum Poſtica alterius componendo, apteque coniungendo, ut rarior quum eſſet maiori in pretio haberi poſſet: Vel Veteres

nulli dubium eſt tum ex Plauto, aliiſque latinis Auctoribus, qui numos hos plumbeos nominant, tum ex auctoritate Baudelot, Molinet Bimard, necnon Ficoroni, qui 1740. Romæ publici iuris fecit non minimam numorum plumbeorum copiam. At licet putent nonnulli, eos non ut pecuniam, ſed ut ſigna potius, & teſſeras inſeruiſſe, ut deſtinarent loca occupanda in Theatro (unde *Deſignatores* nominantur a Bulengero, qui loca iſta deſignabant in ſpectaculis), vel experimenta Monetariorum, ut putat Paſſeri (1), inter quæ ſæpe occurrunt Formæ quædam, quæ numos maximi moduli veluti præludia anteceſſerunt, *quos æreos nondum invenimus, ad Hiſtoriam certe plurimi valent; præſertim quum in nonnullis marmoribus inveniantur Numiſmata Plumbea maximi Moduli cum Imperatorum imaginibus infixa.*

(1) De Re Numar. Etruſcor. cap. 3.

Digitized by Google

teres Numos imitando (*a*). Ut ab his cavere poſſimus, aliqua adnotabimus.

Canon I. Si Priami, Æneæ, Tullii, Abrahami, aliorumque cum ſuis Epigraphis, atque imaginibus ubi occurrant Numi, qui cum Hiſtoriis non conveniant, ut Recentiorum Monetariorum commenta reiice: Huiuſmodi eſt etiam Iulii Cæſaris numus cum Epigraphe Veni, Vidi, Vici: Numus antiquitati omnino ignotus, adeoque Fictus (*b*).

Canon II. Rite, diligenterque obſervanda eſt Numi ora, quum aliqua ſit ſuſpicio, cum conglutinata ſit unius Numi Antica pars cum Poſtica (*c*). Quod etiam ex diverſitate æris di-

(*a*) Celebriores ſunt Ioannes Canuinus Patavinus Laurentius Parmenſis, & Carteron Hollandicus: Hi tam feliciter Veterum Numos ſunt imitati, ut Antiquariorum ſagacitatem quaſi vincant.

(*b*) Dixi *Fictus*, ut ſecernantur huiuſmodi Numi ab illis, quos Veteres imitati Recentiores Monetarii protulere, & Falſi dicuntur.

(*c*) Id ſe obſervaſſe refert Iobert, qui novit Helvio Pertinaci additum fuiſſe in adverſa parte Milonem Crotoniatem: Id accidit quoque Domino Morel, qui In *Specimine* Rei Numariæ ediderat Numiſma Argenteum Gallieni in adverſa parte habens Caput Traiani cum Epigraphe DIVO TRAIANO; at poſtquam dolum novit Monetarii, qui utrumque ex di-

dignoſci poteſt, etſi utraque pars antiqua ſit, diverſa tamen quandoque eſt (*a*).

CANON III. Si in Numis Argenteis legatur S. C. refertur ſemper ad typum, quia iubente Senatu Corona ex. gr. ſtatuta fuit: ſic ad typum etiam refertur S. P. Q. R. Si in æreis, eos & ante Decium Imperatorem (*b*) fuiſſe, & in

diverſis numis coniunxerat in ſecunda editione Lectores monuit (1).

(1) Tom. 1. pag. 71.

(*a*) Accidit quandoque, ut veræ Vetuſtatis, & ſinceri ſint Numi, licet error in ipſis deprehendatur, cuius erroris in cauſſa eſſe poterit Officinatorum oſcitantia duos diverſos typos imprimentium, vel eumdem typum ex utraque parte percutientium, atque id præcipue obſervandum, ſi reliqua Vetuſtati, ſinceritatique reſpondeant.

(*b*) Ad ætatem Imperatorum uſque Numi erant iuris Senatus, atque id indicabant S.C. Senatus Conſulto, quæ literæ habentur in argenteis conſularibus, & in æreis fere omnibus: Vigente dein Imperio, Aurei, & Argentei iuſſu ſolius Imperatoris cudebantur, ut referunt Numi Imperatorii, in quorum fere nullo legitur S. C. (etſi Comes Carolus Rubbi (1) aliquos cum literis S. P. Q. R. fuiſſe indicet), idque comprobari poteſt ex lapide Gruteriano (2).

FOR-

(1) Diſſert. 2. §. 2. delle Monete ex S. C.
(2) LXXIV.

Digitized by Google

& in Officina Monetaria Romana, vel intra Italiam percuſſos habe (*a*).

CA-

FORTVNAE AVG.
SACRVM
OFFICINATORES MONETAE
AVRARIAE ARGENTARIAE
CAESARIS.

ubi de Auro tantum, & Argento ſit mentio, nullo vero modo de ære.

(*a*) In Numis æreis legitur S. C. ac præſertim in iis, qui ſunt maximi, & medii moduli ad Florianum uſque & Probum: Minimi Moduli etiam ad Antoninum Pium uſque, atque iterum ſub Traiano, Decio; at quum omnis poteſtas ad Imperatores delata fuerit, vigente nomine tenus Republica, omne etiam ius percutiendi Numos penes Imperatores fuit, atque hinc poſt Decium non ultra legitur S. C.

Neque obſtat quod omnibus Minimi moduli deſit S. C., ut ab Antonino Pio ad Decium, & a Decio nullus ſit ita ſignatus; immo quod in perpaucis etiam Maximi moduli id legatur, ut obiicit Iobert, ex quo infert vel Epigraphen illam non indicare Senatus auctoritatem, vel æreorum cudendorum poteſtatem ad Imperatores quoque pertinuiſſe: quippe dictum eſt de induſtria Ius ad Senatus auctoritatem de æreis ſpectaſſe *In Officina Monetaria Romana, & intra Italiam*; nam extra illam Imperatores cum exercitu gradientes, ubivis æreos quoque numos percutiebant. Adde quod in Numis Aureis, & Argenteis ante Imperatores percuſſis, deeſt ut plurimum, te-

ſte

Canon IV. Si in Numorum Inſcriptionibus, vel Literæ ſint inverſæ ut ƆƎƆ, vel aliquæ turpiter adiectæ, quæ ſenſum confundunt, ut APPOL SVLVTARI FORTVNA REDVCA P QNT, pro *Apollini Salutari. Fortunæ Reduci: Pontifex*, non illico falſæ putandæ ſunt; ſed Officinatorum culpanda potius inſcitia, aut incuria: ſunt enim ſæpe ſinceræ antiquitatis, ut is eſt apud Kell MLETARM PROPVGNATOREM D. N. loco *Martem Propugnatorem Dominum Noſtrum*; rite tamen interpretandæ voces, ne nova, atque non prius audita Principum nomina inducantur, ut optime Maffeius (*a*).

Ca-

ſte Iobert ipſo, & Bimard S. C. & tamen certe iuris erant Senatus.

Numi Ærei Græci facultate non indigebant Senatus, quippe quum ad Romanum Imperium adiunctæ fuere Græcæ Civitates, adempta ipſis non fuerit facultas, qua antea fruebantur, Numos cudendi.

(*a*) *Quid autem dicemus* (1) *de numquam auditis Imperatoribus, qui his ipſis diebus noviter in Scenam prodeunt? Poſthuma percelebris Scriptoris vulgantur opera, in quibus poſt magnum Maximum* D. N. EOANVS P. F. AVG., & D. N. BRITIVS *tamquam ex antiquis numis obtruduntur nobis. Eiuſdem*

(1) Epiſt. 22. de Antiquit. Galliæ.

Canon V. Non ex uno Poſticæ partis Symbolo res eſt definienda: ſed Poſtica cum Antica eſt comparanda, ut de Interpretatione contenti ſimus (*a*).

L Ca-

dem Auctoris Schedas apud D. Cleves nuper vidi in quibus.

D.N. CALPITIANVS P. AVG., &
D.N. VECVNINVS P. F. AVG.

item recenſebantur. Ex Nominibus perperam inſcul-ptis Monſtra hæc exoriri aliquando poſſunt AVLENANVS *pro ignoto huic uſque Principe ab eodem Auctore venditatur. Numiſma in Muſæo Rathelíniano occurrit mihi* D. N. AVLENAVS P. AVG. *ſed facies Valentem prodit: ſculpi ergo debuerat Valens.*

Si quis de his erudiri velit adeat diſſertationem Froelik *De Numis Monetariorum Veterum culpa vitioſis*, quæ extat in ſuo opere inſcripto: *Quatuor Tentamina*,

(*a*) Qui Romam Augurium captantem, clypeis inſidentem inter duas Aquilas, aut Vultures cum Lupa, & Puerulis contempletur, errat ſi ob Romuli memoriam conſervandam numum hunc percuſſum fuiſſe dicat: Roma quippe, ait Vaillans, (1) clypeis inſidet ut Victrix: adſtat Lupa cum puerulis tamquam eius ſimbolum: advolant Vultures in memoriam illorum, quos Romulus viderat, qui typus in Numo Titi ſignatus videtur, quod ille Iudæos ſubegerit fauſtis captis auguriis: Roma autem adhibetur cum Romulo, quod primi Augures ab illo Romæ con-

(1) Tom. 2. p. 99.

Canon VI. Ex quo error aliquis in numo deprehendatur (ut ſi, quod eſt in Antica, idem ſit in parte Poſtica, ut in Numo Octaciliæ apud Vaillant, ubi in utraque parte Caput Octaciliæ eſt cum eadem inſcriptione. Marc. Octacil. Severa Aug. Vel ſit nomen Prænomini præpoſitum, Vel ſi conſulatus diverſimode enuncietur in averſa, ac eſt in parte adverſa; ex. gr. in averſa Conſ. II. in adverſa legatur Coſ. IV. Item Inſcriptio propria Mulierum tributa viris, vel contra, aliaque his ſimilia) non illico Recentem eſſe, & a falſis Monetariis confictum dices; accidiſſe id etiam potuit, ex oſcitantia Officinatorum, ut nuper diximus de inverſis litteris, aut male adiectis (*a*). At cum dubia ſatis res ſit vel ipſis peritiſſimis

conditore inſtituti ſint. In Antica parte legitur T. CAES. VESPASIANVS AVG. atque habetur Caput Titi Laureatum: nec iubente Tito cuſus eſt, ſed teſte eodem Vaillant a Traiano reſtitutus: *Inter*, inquit, *Imperatorum* Numos a Traiano reſtitntos Titi præ *cæteris* crebrius parantur, quod eius memoria præcipue apud Traianum *culta ſit*.

(*a*) Qui ſub Triumviris monetariis, ut cap. ſeq. dicemus, opus exercebant vel Liberti erant, vel Mancipia, qui Officinatores dicebantur, vel Numularii Officinarum familiæ Monetariæ; ita ex Inſcript. 417. Gruteri: item Officinatores Monetæ ex eo-

Digitized by Google

ſimis viris; nonniſi conieſtando ex materia, ex Inſcriptionibus, aliiſque adiunctis divinari potius, quam definiri poteſt (*a*).

L 2 Ca-

eodem Lapid. LXXIV. 2. rurſus ex eodem 638. 2. 3. Numularii Officinatores: ex Vopiſco in vita Aureliani.

In tres claſſes diſtincti erant, Signatores ſcilicet, qui typum imprimebant: Suppoſtores, qui Æs, Argentum, & Aurum ſupponebant: Malleatores, qui malleo percutiebant ex Gruter. Lapid. MLXVI. 5. Aderant, & qui materiam liquabant, ut eam in laminas redigerent, atque Flatores, vel Flatuarii nominabantur. Exactores Æris, Argenti, & Auri ii erant, quibus ius erat inſpiciendi, num ad ſtatutum valorem pondus reſponderet: ex Grut. lap. XXXVI. 3. & LXXIV. 2. Horum omnium Princeps *Optio* dicebatur Gruter. XXXVI. 1. & MLXVI. 5.

(*a*) *Numum, qui dictis meis fidem adſtruat*, inquit Froelich (1), attento oculo contemplatus ſum in Cimelio perilluſtris, ac eruditiſſimi Viri Domini Vicinelli in averſa parte optime, in adverſa ſatis conſervatum, ac elegantem ex ære magni moduli.

MP. C... T. POSTVMVS P. F. AVG. IMPERATOR CESAR MARCVS CASSIVS LATIENVS POSTVMVS AVGVSTVS. Caput radiatum Poſthumi

RESTITVTOR GALNVS AVG. Mulier genufleſtens orbem porrigit Imperatori ſtanti. In averſa huius numi parte Figura Imperatoris ſtantis capite mutila-

(1) Pag. 453.

Canon VII. Quamvis difficile quandoque ſit Vetuſtos a Recentibus numis dignoſcere ali-

quo-

tilata comparet, atque eius loco videtur capitis laureati pars poſterior una cum ligulis lauri, & punctulis oram alioqui ambientibus, plane ita, uti in adverſa numorum facie laureata capita ſignari ſolent; atque iuxta hoc capitis reſegmen illæ literæ comparent NVS. AVG. non bene cohærentes eodem ordine cum RESTITVTOR GAL., ex ipſo typo manifeſtum eſt in averſa parte novo hoc iconio exhiberi cum ſolita effigie epigraphen *Reſtitutor Galliarum*. Illam porro Capitis laureati partem cum NVS. AVG. eſſe veteris ſignaturæ veſtigia, quæ repræſentavit caput Imperatoris; cuius nomen *ſillaba* NVS *terminaretur*.

Et Pag. 427. Idem Froelich ait: *Hos ego, ſimileſque* frequentes numos conſignati per errorem cum alieno capite averſæ partis typarii damnare nolim: Numi ſiquidem, quos ita vitioſe combinatos tenemus, ſinceri, præſertim non ita ſingulares, aut pauciſſimi eiuſdem omnino formæ eſſe ſolent, neque ſatis credibile videtur adeo inſignes errores non antea, quam late in publicum proferrentur ab iis, quorum intererat, cognitos, ac ſuppreſſos fuiſſe.

Cl. Maffeius epiſt. 22. de Antiquitatibus Galliæ: *Nerva*, ait, eſt in eodem Domini Cleves ſcrinio, qui in anteriori parte Coſ. II. dicitur, in poſteriori Coſ. III. Antiquus procul dubio eſt numus argentea ſiquidem bractea obductus: Verum in Muſeo Rotheliniano Traianum animadverti Coſ. VI. & in averſo

Coſ.

quorum præſertim falſariorum, qui veterum Numorum formam non tam imitati, ſed & æmulati ſunt; ex litteris tamen Inſcriptionum: ex Imaginibus: ex Forma: ex ſignis circa oram Numi, atque ex cruſta, qua obducitur, diſtingui poſſunt (*a*), ſi quis præſertim his tractandis aſſuetus ſit.

Coſ. V. cum *Dacia capta*. Item M. Aurelium TR. P. XXIIII., & in altera TR. P. XXIII. cum Armenia. Gordianum Pium quoque cum Leone gradiente, & SECVLARES AVGG. etiam cum ANNONA AVGG. quæ Philippi poſt Gordianum imperantis inſcriptiones ſunt: At ii numi omnes Argentum mentiuntur, ac prætendunt, cupro vero conſtant: Anticos ergo typos monetæ adulteratores cum poſticis ſæpe *maritabant alienis*. Anticam unius numi partem cum poſtica alterius coniunctam ſe vidiſſe teſtatur etiam Morel, ut ipſe in *Specimine Rei Numariæ*.

(*a*) Dignoſci primo poſſunt a charactere, cuius literæ neque ſatis vividæ, neque ſatis rotundæ, ſed aliquantulum oblongæ eſſe ſolent: ſecundo effigies exporrectæ ſatis non ſunt, ex quo fuſi ut plurimum ſunt, non percuſſi: hinc tertio cum pars aliqua æris fuſi oræ numi hæret, quæ a Falſariis abraditur, eius, vel Inſtrumenti, quo abraditur ſigna inſpiciuntur, nec umquam tam graves eſſe ſolent, ut percuſſi: Quarto in numis cuſis impreſſionis ſigna talia remanent, ut licet Falſarii ea affectare ſtudeant, diverſa tamen remanent. Quinto ut vetuſta-

tem

Canon VIII. Si in Numis Conſtantini habeantur Verba PONT. MAX. illos ante eius Conſulatum VI. cuſos eſſe dices (*a*).

§. V.

De Ratione interpretandi Inſcriptiones.

Canon I. Etſi difficillimum ſit numos ſine literis dignoſcere; ex typo tamen ſimili, ſimilique Figuræ geſtu, ornatem imitentur colore quodam viridi, vel rubro eos obliniunt: At ſi facile abſtergitur, recens erit color, ſi difficile, & non ſine labore, a tempore inductus erit: Si recens, neſcio quid ſalini ſaporis in lingua inducet: non item ſi vetus, & a tempote genitus.

(*a*) Huiuſmodi titulus ſcilicet PONT. MAX. a Conſtantino in Imperatoribus Chriſtianis non legitur: Quidquid in oppoſitum dicat Andreas Boſius, qui Ienæ, Diſſertationes edidit 1656. de Pontificatu Maximo Imperatorum Chriſtianorum, quæ habentur apud Grevium (1). Clare enim oppoſitum conſtat ex iis, quæ Pagius (2), & Tillemontius habent (3). Neque quidquam roboris addit, quod Van-Dale (4) ſub-

(1) Tom. V.
(2) An. 312. §. 17.
(3) In Hiſt. Imp. Rom. Tom. 4. adnot. 34.
(4) Diſſert. 2. ad antiquit., & Marmor. *illuſtrand.*

Digitized by Google

ornatu, habituque aliorum numorum literas habentium, cuius ſint Originis, quo referri debeant, aſſequi non ægre poſſumus, ut optime Cl. Paſſeri (1) (*a*).

Canon II. Si nomen dumtaxat Principis, quod pluribus aptari poteſt in antica parte ſit, Antica cum Poſtica eſt comparanda, ut cuiuſnam ex tot eiuſdem nominis Principibus numiſma ſit, inſpiciamus (*b*).

L 4 Ca-

ſubdit, quod in Inſcriptione quadam de Iuſtino legatur PONT. MAX.; Nam ibi Non Pontifex ſed PONTICVS MAXIMVS legi debet.

(*a*) *Itaque*, ait, *cum caput* Equi exciſum videamus in quibuſdam Campanorum, & Siculorum numis epigraphicis, non inaniter divinavimus numos ſine literis cum eodem ſigno ad eoſdem populos pertinere, quemadmodum & Leontinis eos, qui Leonis caput exhibent, & Valentiæ Urbis Numi *fulmine obſignati*.

(*b*) Huius rei exemplum eſto Numus a Cl. Haym (2) productus, in quo huiuſmodi tantum ſunt in antica parte literæ Αλεκανδρου: dubitatur cuiuſnam ex tot eiuſdem nominis Principibus ſit? At cum in poſtica parte Leonis imago cuſa videatur; cumque Plutarchus de Alexandro (3) Macedone hæc referat: *Philippus aliquanto* poſt nuptias in ſomnis ſibi viſus eſt uterum Uxoris obſignaſſe annulo cui Leonis inſcul-pta

(1) Differt. de Re numaria Etruſc. p. 19.
(2) Theſaur. Britan. Tom. 2. edit. Vien. p. 13.
(3) Initio Vitæ Alexan.

Digitized by Google

Canon III. In his ipſis partis Adverſæ Emblematis perſcrutandis, ut error vitetur, Hiſtorici, qui de eo Principe ſcripſerunt attente perlegantur: In quo Branduri, alias diligentiſſimum, erraſſe (*a*): atque Froelichium in interpretatione iam data, re melius perpenſa, ſe emendaſſe norunt eruditi (*b*).

Capta eſſet imago, quod ſomnium cum in malam partem reliqui Arioli acciperent.... Ariſtander Telmiſſeus concepiſſe eam affirmavit (nihil enim inane obſignari) & pariturам filium armoſum, *Leoniſque ingenio præditum*; Numiſma illud Alexandro Macedoni iure optimo tribui poteſt.

(*a*) Explicans Banduri adverſam partem Numi Conſtantini, in qua ſagittam contra Leonem Imperator emittit, autumat in Leone indicare Licinium a Conſtantino victum: At magis veriſimile eſt, Conſtantinum cum vero Leone pugnantem in numo conſignatum eſſe, iuxta id, quod Praſſagora (1) de ipſo refert: *Galerius Maximianus*, ait, *ad inſidias adoleſcenti* (Conſtantino) *ſtruendas, animum adiiciens ad pugnam cum fero Leone iuvenem induxit, Is autem belluam ſuperatam occidit*. Nonne tanta Victoria, ſummumque periculum, atque mperatoris animi magnitudo poſteritati demandanda erat?

(*b*) Numum contemplatus eſt Cl. Froelich, in cuius anteriori parte caput nudum eſt Imperatoris, cuius effigies ex tempore, atque ex collatione cum aliis numis Indubiis, caput exhibet Octaviani: literaſ-

(1) Apud Photium Codic. 62.

Canon IV. Ubi Inſcriptionum litteræ ſunt coniunctæ, nec habentur diſtinctionum ſigna, modo primas tantum, modo plures ſimul, tentando, coniungantur, donec ex ipſis congrua habeatur ſententia; ut ſi habentur ſic litteræ Inſcriptionis DDNNIOVLICINV AVC. ET. CÆS. literas dividendo ſic lege: Dominorum Noſtrorum Iovii Licinii Invicti Auguſti, & Cæſaris. Congruit ſententia, ac firmatur ab Hiſtoria,

ex

raſque habet C. I. F. xxxi., hoc eſt Colonia Iulia Felix anno 31. (hoc eſt Synope): ex adverſa vero parte duo capita (1) Antonium eſſe, & Cleopatram. Cl. Belley (2) cenſuit Antonium referre, & Octaviam; At iterum rem meditans Froelich. (3) inveriſimile eſſe duxit, Sinopenſes Octaviani vulnus refricare voluiſſe memoria Antonii propter Adulterium Antonii cum Cleopatra, cuius Antonii Uxor erat Octavia Octaviani Soror. Neque Belley interpretationem approbat, tum ut ne hoſtem Antonium cum ipſo Octaviano coniungerent, tum præſertim quia cum in anteriori parte notetur annus 31. quæ Synopenſium epocha indicat annum a Roma condita 739., quum Antonius mortem ſibi conſciverit 724., difficile eſt, ut credatur Synopenſes poſt tam longum tempus voluiſſe Antonii memoriam Octaviano excitare; quare cenſet duo illa Capita Caium, & Lucium exhibere in Cæſares ab Octaviano adoptatos.

(1) In Appendice ad Vaillant.
(2) T. 26. Pariſienſ. Accadem. Inſcri.
(3) In nova Append.

Digitized by Google

ex qua didicimus duos eodem tempore fuiſſe regnantes Licinios Auguſtum alterum, alterum Cæſarem. Quod ſi literarum coniunctio nullam ſufficiat congruam ſententiam, quælibet ex literis quæ in Adverſa parte extant, ut initium vocis habenda eſt, ut in exemplo Harduini cap. 1. relato.

Canon V. Maxime cavendum a correctione, necnon literarum mutatione, ut Cl. Haym accidiſſe notat Belley, qui ut interpretaretur VIBIAFIN mutatam ex errore numulariorum G in I, atque Inſcriptionem legit VIB. GAL. FIN. Vibio Gallo Finnio. At cum in Lapide Muratoris CCLIII. C. VIBIO AFFINIO legatur, iure Belley non corrigendam Inſcriptionem; ſed potius VIBIO AFFINIO legendum eſſe cenſet.

Canon VI. Attendendus quoque eſt modus ſcribendi Veterum, eorumque ſiglarum uſus (*a*).

Canon VII. Materia, Typus, & Pondus ad

(*a*) Sic in numis argenteis a Cl. Kell. relatis (1) ex gente Fabia, Licinia, Tituria habetur ex A. P. V. ſunt qui legunt Argento Publico; at quum numquam reperiatur in Numis vox *Publica* expreſſa per literas PV., ſed vel P., vel PVB, vel PVBL., hinc potius legendum eſt Auro, vel Argento Puro.

(1) Supplement. p. 8.

Digitized by Google

ad inſcriptiones interpretandas non parum proſunt (*a*), & ſi non eadem ſit ratio de Inſcriptionibus Lapidariis; ipſa tamen viam non raro aperiunt interpretationi Numorum (*b*). Sic in Vibio Affinio, de quo nuper dictum eſt, ſic etiam in Numo Auguſti.

Canon VIII. Si in interpretando Nomen Prænomini præponi debeat, aliter res eſt intelligenda, atque aliter literæ vel coniungi, vel ſeparari debent (*c*).

Ca-

(*a*) Harduinus SAL. interpretatus eſt Salduba in numo ætate Sexti Pompeii, quæ dicta fuit Cæſarauguſta, nunc *Saragoza*. At cum nulla hiſpaniarum Civitas argentum percuſſerit, difficile eſt, inquit Bimard (1) ut legi poſſit Salduba *Saragoza*.

(*b*) In Numo Auguſti litteras P. SSC. Vaillant legit *Poſuerunt Suffetes Carthaginienſes*. Harduinus *Poni Suo Sumptu Curavere*; at quoniam Bimard (2) in Lapide CIII. 7. Gruteriano legerat: Statuam ex Ære Ordo Spoletinus Conlocavit, & in CCCLIII. 4. item Gruteriano Statuam Locari Sumptu Publico Placuit; cenſuit literas illas in citato Auguſti numo interpetrandas eſſe *Publico Sumptu Statuam Conlocaverunt*.

(*c*) Falſus eſt Haym (3) cum in Numo Antonini dividens K ab AI loco KAI ΛOVK ANTωN legit Cæſar Ælius Lucius Antoninus, præferens Nomen Ælius prænomini Lucio.

(1) Tom. 11. p. 166.
(2) Tom. 2. p. 140.
(3) T. 2. Theſaur. Brit. p. 228.

Digitized by Google

Canon IX. Vox Imperator alias alibi in Numis valet (*a*). Vox Cæſar poſtpoſita, ut Germanicus Cæſar, numum denotat Neronis ætate antiquiorem (*b*). Titulus autem D. N. *Do-*

(*a*) Imperator in numis Conſularibus idem valet ac Summus Romanorum Dux exercituum, ut ANTONIVS IMP. SVLLA IMP. In Numis Auguſtorum vel indicat Imperii perpetui dignitatem, vel acclamationem exercitus: Iuxta primam acceptionem, nulla additur particula, quæ novam dignitatis huius collationem exprimat, cum dignitas eſſet perpetua: iuxta ſecundam vero titulus Imperator poſtponitur cognomini Auguſtorum, & Numerus acclamationum indicatur, ut AVG. MP. xx.

(*b*) Communis eſt Antiquariorum opinio Cæſaris nomen familiæ fuiſſe, non dignitatis ad Neronem uſque, poſt hunc filiis, ac nepotibus adoptatis impertiri conſuevit, ac proprio illorum nomini poſtponi. A Claudio tranſiſſe hoc nomen, (quod ſolius Iuliæ Gentis erat;) in omnes Imperatores cauſſa honoris, inquit Tillemontius (1): Spanhemius contra putat (2) non ante Veſpaſianum id eveniſſe, qui illud omnium primus ſuo nomini præmiſit: *Imp. Cæſar Veſpaſianus Aug.*: ante ipſum quippe Galba poſtpoſuit *Imp. Serv. Galba Cæſar*: ex Biragio (3) tamen notat Tillemontius (4) in Domitiani poſterioribus numis oppoſitum ob-

(1) n Claudio.
(2) Diſſert. 12. pag. 661.
(3) Pag. 129.
(4) Loc. cit.

Digitized by Google

Dominus Noſter adhuc recentiorem ætatem indicat (*a*).

Canon X. Cum in Numis habes A. A. A. F. F. intellige de triumviris Monetalibus Auro, Argento, Ære Flando, Feriundo; atque tempus exhibent ante Auguſtum, vel ipſius Auguſti; poſt Auguſtum quippe nullus extat numus nomen, vel ſigna Triumvirorum, vel Quatuorvirorum Monetalium referens (*b*).

Ca-

obſervari: quare non a Veſpaſiano hunc morem in reliquos Imperatores profluxiſſe.

(*a*) Romani ſiquidem adhuc libertatis umbra capti ſub primoribus Auguſtis Regium nomen, ac Dominationem averſabantur, nec quicquam Caligulæ, hunc ſibi titulum vindicare conanti profuit; Qui tamen a Diocletiani ætate, comunis apparet Imperatoribus: nec oppoſitum evincit Æmiliani numus a Golzio prolatus cum epigraphe D. N. C. Domino Noſtro Cæſari; ſiquidem Maximianum ibi in Æmilianum mutatum eſſe, Morelius contendit.

(*b*) Pomponius L. 2. §. 30. ff. de Orig. Iur. ſcribit, eodem anno, quo creati fuerunt Triumviri Capitales, ſtatutos quoque fuiſſe Triumviros Monetales æris, argenti, auri Flatores a Roma condita ccccLxv. Orbis iuxta Uſſerium 3715.; quod ſtare non poteſt cum eo, quod ſupra dictum eſt, quod ſcilicet 547. annis ab Urbe condita Aurum cudi cœperit; quare cenſent alii Triumviros Monetales conſtitutos

eſſe

Canon XI. Cum Numeros hoſce invenies L. V. L. VI. L. S L iis in Exergo in argenteis con-

eſſe paulo ante Ciceronem: melius tamen alii huiuſmodi Magiſtratum pro auro cudendo fuiſſe, cui deinde tota Officina Monetalis demandata fuerit, licet etiam antea adeſſent, qui præeſſent ærario. Iulius Cæſar Quartum addidit, ut ex ipſis Numis liquet: ſub Auguſto vero tres, ut antea fuere.

Poſt Theodoſium, qui præerat ærario, quique dicebatur *Comes Sacrarum Largitionum*, huic demandata etiam fuit cura monetarum, atque ſingulis Officinis datus fuit, qui præeſſet, quique teſte Ammiano Marcellino (3) dictus fuit *Præpoſitus monetæ*, *& Primicærius Monetariorum*, qui omnibus officinatoribus præerat: Is ipſe *Optio* etiam nominabatur, ut ex Grutero diximus. In Coloniis, & Municipiis qui Colonias regebant Monetariorum Primicærii erant Duumviri, vel Quatuorviri; ut tamen hi numos cuderent, facultate indigebant Senatus; hinc ex S. C. ex Senatus Conceſſione, ut notat Florez. (4) Si vero nullum in ipſis ſit aliud huiuſcemodi ſignum, putat cuſos fuiſſe ante Imperatorum regimen, ſeu Reipublicæ tempore. Imo ætate Imperatorum Coloniæ, & Municipia, quæ ad Senatum pertinebant, ipſius Senatus facultatem impetrabant, ut in numis Antiochiæ legitur S. C. ad Mar. Aurelium uſque; & in numis Antiochiæ Piſidiæ S. R., hoc eſt *Senatus Romanus*, vel *Senatus Reſcripto*: Coloniæ vero quæ ſub

(3) Lib. xxi.
(4) Tom. 1. De Monet. Hiſp.

Digitized by Google

conſularibus valorem Numi ſignatum lege, Quinarium ſcilicet, vel medietatem aſſis, vel Seſtertium, duos videlicet Aſſes cum dimidio iuxta Iobert (1): In aureis xv quindecim denariorum argenteorum, & ſic de cæteris iuxta numerum conſignatum: vel numerum typorum, ut putant alii: & in Aureis vult Iobert (2) fuiſſe indigitatum Tributum indictum, vel remiſſum, quod de Græcis numis etiam decernit. Nonnumquam **Λ** in græcis numis reperietur, ut initialis huiuſce vocis **Λυκαβας**, *αυτος*, quæ annum ſignificat, quam deinde ſequitur anni numerus in numo ſignatus: ſic in Othonis numo Antiochiæ percuſſo, ut acute, ſapienterque animadvertit vir acri ingenio, iudicio limatus, omnigenæ litteraturæ callentiſſimus Nicolaus de Simone Salinas. Utinam ne ultra amicorum obſiſtens Litterariam Rempublicam non vulgaribus ad Philologiam præſertim ſpectantibus, quæ ipſe vel ſubciſivis horis, vel per otium collegit, ac in ordinem digeſſit, operibus carere patiatur.

§. VI.

ſub poteſtate Imperatoris erant, ab ipſo facultatem impetrabant, ut in Numo relato a Cl. Seguin INDVLGENTIA AVG. MONETA IMPETRATA.

(1) Tom. 1. p. 118.
(2) Tom. 1. p. 190.

Digitized by Google

§. VI.

De Notis Numiſmatum Chronologicis.

Canon I. EIuſdem Populi non eadem fuit ſemper annorum ſupputatio; alia enim alias uſi ſunt æra (*a*).

Canon II. Chronologica ſupputatio Græcorum numiſmatum Iulianis Romæ annis adamuſſim non congruit (*b*).

Canon III. Poſſunt anni, quos Numus præfert ad annos vel Urbis Conditæ, vel Repara-

(*a*) Id autem difficultatem parit ad ſtabiliendam ex Numis Chronologiam; exemplo ſit Antiochia Syriæ, quæ primum æram græcorum uſurpavit, ab eo ſcilicet anno, quo Seleucus primus Syriæ Rex Nicanorem Babylonis Regem ſuperavit: Dein a Pompeio Autonomiæ iure donata Pompeianam æram adſcivit: ex quo ſcilicet Gnæus Pompeius Tygrane devicto in inferiore Syria Romanum Imperium protulit. Tum Auguſto ut rem gratamfaceret, Actiacam arripuit æram, quæ nimirum ab Actiaca Auguſti Victoria initium ſumpſit, quæ in græcis numis ἔτος νίκης Annus Victoriæ notatur.

(*b*) Annus nempe Græcorum ſive ab Æquinoctio Autumnali, ſive a Kalendis Septembris incipiebat; Annus vero Romæ Iulianus, ut cuique notum eſt, a Kalendis Ianuariis.

Digitized by Google

paratæ revocari, ſi Epoca ipſa, ſub qua numus percuſſus eſt, teneatur (*a*).

M Ca-

(*a*) Quod attinet ad annos Urbis conditæ: Occurrat ex. gr. Numus Antiochiæ percuſſus ſub Epoca Seleucidarum, ſeu Græcorum, quæ cæpit anno Urbis Conditæ 442, atque in Numo inſculptus anno VIII. hic numerus addatur priori 442. Summa dabit 450. demo iam ex his unum (Id fit ex eo, quod ut nuper dictum eſt, annus Græcorum ab Autumno cæperit, Romanus a Kal. Ianuariis) habebis annos 449 in cuius ſcilicet Autumnum incidet initium illius anni, quem præfert numus.

Quod autem ad Æram Chriſtianam, ſeu reparatæ ſalutis, ut res rite procedat, inſpiciendum 1. Utrum Epoca numi numero aliquo conſignati æram Chriſtianam ſequatur, an præcedat: Si ſequatur, eadem methodo, quam pro annis Urbis Conditæ iudicavimus, annos poſt Chriſtum aſſequeris. Itaque ſi Dioſpolis Urbis exempli cauſſa numus occurrat ſignatus anno 15., cum huiuſce Urbis Epoca cæperit anno Chriſti 93., huic addendus eſt numerus, quem numiſma præfert nempe 15. ſumma dabit 108, a qua ſi unitatem demas, reſiduum erit 107., idemque annus erit Numi ab Autumno ſumens exordium. Sin autem numi Epoca Chriſtianam æram præcedat, uti Damaſcenæ Urbis, quæ initium ſumpſit annis ante Chriſtum 312; tunc vel numerus a numo indicatus eſt minor Epoca, vel æqualis, vel maior. Si minor, aut æqualis, a numero, quem numus habet, demenda unitas; tum reliquum ſubtrahes ab Epoca, quod

Digitized by Google

ſum Cæſarem, aut Auguſtam, cuius eſt imago, non pertinent, ſed ad Parentem, vel Coniugem (*a*).

Canon VI. In Imperatorum græcis Numis L latinum pro Λ græco occurrit ad ſignandam initialem litteram vocis Λυκαβάντος, ideſt Anno ex. gr. L AI. Anno undecimo; Sicut etiam nomen ΣΘΟΥΣ: quod item Anno ſonat, non ſignant per literam initialem tantum, ſed vel integram habent vel ΕΘ. aut ΕΘΟ (*b*).

Canon VII. Ex Numis Ægyptiacis pro Imperatoribus percuſſis ſupputari rite non poſſunt anni Imperii: Ægyptii quippe annos non ſupputabant a die electionis Imperialis, ſed a prima die Anni Ægyptiaci, in cuius decurſu Imperator Salutatus fuerat: quare primo

(*a*) Notat id appoſite, atque oſtendit Froelikius: (1) ſic annus VIII. ſignatus in Numo Titi Cæſaris pertinet ad Veſpaſianum eius Patrem.

(*b*) Græci exprimunt numeros per Alphabeti ſui literas, ac proinde V valet idem ac 30. E autem idem ac Sex; ad tollendam æquivocationem uſi ſunt latina litera L, ut appareat numerum eſſe, ne cum aliquo nomine confundatur; ſic etiam voce ΣΘΟVS vel integra prorſus, vel ita decurtata, ut ſatis appareat nomen eſſe non, numerum.

(1) Ibid. pag. 44.

Digitized by Google

mo anno imperii multoties duo reſpondebant Ægyptiaci (*a*).

§. VII.

Qui rariores Numi habentur, generatim innuuntur ex Tribus Primis Sæculis Romani Imperii.

RAriores Numos hic accipimus ex recta parte a fronte: Nam Typi ex Adverſa parte raritatem ſæpe conciliant numo cætera obvio, ut in Veſpaſiano, Traiano, aliiſque paſſim: De Typis autem rarioribus non eſt in præſenti ſermo.

EX SÆCULO I. valde Rari Numi Octaviani Auguſti Maioris Formæ.

Tiberii Primæ formæ ærei.

Caii Caligulæ admodum Rari inveniuntur, vel quod perpaucos cudi ipſe curaverit, vel

(*a*) Si Succeſſor ad Imperium erat Filius, vel Adoptatus, Ægyptii ætatem utriuſque ſimul in unam iungebant; ſic Clemens Alexandrinus (1) ſcribit M. Aurelium, & Commodum 32. annis imperaſſe, licet M. Aurelius regnaverit tantum 19. annis & diebus 10. & Commodus annis 12. menſibus 9. & diebus 14.

(1) Strom. lib. 1.

Digitized by Google

vel quod Senatus ad obliterandam eius memoriam ſuppreſſerit *(a)*.

Germanici Aurei Rariores argenteis: Ærei primæ Figuræ Rariſſimi: Secundæ vero Vulgares.

Tiberii Claudii pauci in Italia ex Auro, & Argento; frequentes ex Ære magni moduli: Perpauci Iuliæ Agrippinæ eius coniugis ex omni metallo: ex ære medii Moduli nulli ſunt.

Neronis obvii, ſed Poppeæ, & Sabinæ Auguſtarum ærei græci Secundæ formæ Rariſſimi.

Sergii Galbæ ex Auro tantum Rari.

M. Salvii Othonis Rari ex auro, ex Ære Rariſſimi, nec niſi Ægyptii, aut Græci.

A. Vitellii ex Ære admodum Rari, Rari etiam ex Auro: ex Argento obvii.

Iuliæ Sabinæ Titi Filiæ ex Auro Rariſſimi: ex Argento, & Ære cum eius capite non obvii.

Domitiæ Rariſſimi, præſertim ex Argento.

(*a*) Quos Caii Caligulæ numos invenies minimi moduli ex ære, qui etiam rari ſunt, nunquam habent nomen illud Caligulæ, ſed Caii tantum, ſicut neque Caracalla, ſed Marcus Aurelius Antoninus; Nam illa Agnomina Dignitas numorum reſpuit.

Digitized by Google

Rhotellin : ex Ære primi moduli Rariſſimi: ſecundi non extant.

EX SÆCULO III. Iulii Maximini ex Auro tantum Rari.

Paulinæ eius Uxoris ærei primi Moduli Rari, Argentei quoque Rari : Nullus Aureus.

M. Antonii Gordiani Afri tam Senioris, quam Iunioris admodum Rari, præſertim ex Argento.

D. Cælii Balbini Rarus ex quovis metallo, præſertim vero ex Auro; ex Ære rarior eſt ſecundi Moduli.

M. Claudii Pupieni Rarior ex Auro, & ex Ære Mediæ figuræ.

Gordiani Pii vulgaris Numus, ſed ex Auro non obvius.

Tranquillinæ Uxoris Aureus nullus, Argenteus, & Æreus Rariſſimns.

Iulii Philippi tam Patris, quam Filii obvii, præterquam ex Auro.

Decii ex omni metallo communis; ex Auro tamen Rariſſimus.

Q. Herennii Etruſci ex omni metallo Rari, Rariſſimi ex Auro,

C. Valentis Hoſtiliani ex Argento, & Ære non obvii, ex Auro valde rari.

C. Vibii, rari Treboniani Galli ex Auro rariſ-

Digitized by Google

ſimi, ex Argento, & Ære. obvii

C. Vibii Voluſiani ex Ære, & Argento frequentes, ex Auro Rariſſimi.

C. aut M. Æmilii Æmiliani Aug. Rariſſimi ex Auro, vel Ære, ex Argento non obvii.

Valerii Gallieni Numi frequentes: ex Auro tamen Rari.

Numeriani, & Carini ex Auro Rariſſimi.

Magnæ Urbicæ Carini Matris ſecundæ formæ ſummo in pretio ſunt.

NO-

Digitized by Google

NOTÆ COMPENDIARIÆ IN LATINIS NUMIS OCCURRENTES

A

A. Anno: Arelate. Augur. Auguſta. Auguſtus. Aulus. *Prænomen.*

AA. Apollini Auguſti.

A. A. Duo Auguſti. AAA. *Tres Auguſti.*

A.A.A FF. Auro Argento Ære Flando Feriundo *Triumuiri.*

ABN. Abnepos

ACCI. Accitana. *Colonia* Guadix *in Regno Granata.*

ACT. Actiacus, Actiaca, Actium *In Epiro*

ACT. A. Actiacus Apollo.

AD. FR V. EMV. Ad Fruges emundas.

ADI. Adiutrix. *Legio*

ADIAB. Adiabenicus. Adiabene. *Aſſiria ita dicta*

ADOP- Adoptatus.

ADQ. *vel* ADQVIS. Adquiſita.

ADVENT. AVG. *vel* ADV. AVG. Adventui *vel* Adventus Auguſti

AED. Ædes. Ædilis

AED. CVR. Ædilis Curulis.

AED

Digitized by Google

ANN. AVGG. Annona Auguſtorum

ANN.DCCCLXXIIII. NAT. VRB. P. CIR. CON.

Anno octingenteſimo ſeptuageſimo quarto Natali Urbis populo. *Vel* Primum Circenſes conſtituti.

ANT. *vel* N Antiochia *Piſidiæ*

ANT. AVG. Antonius Augur.

ANTIAT. Antiati, *Fortunæ Antiatinæ*

ANTIK. Antikaria. *Antequera Civitas Hiſpaniæ*

ANTIO COL. Antiochia Colonia *Piſidiæ*.

ANTON. ANT. AN. Antonius

AP. Apius *Prænomen*, *vel Nomen*

AP. F. Argento, vel Auro publico Feriundo. *vel* Argentum primus flavit, *ut cenſet Vaillant*: *vel* ad Pecuniam feriundam, *ut putat Kell.*

APOL. CONS. AVG. Apollo Conſervator Auguſti

APOL. MON. Apollo Monetalis

APOL. PAL. Apollini Palatino.

A. POP. FRVG. AC. A Populo Fruges acceptæ

APP. Appius

A. PV. Argento Puro, *vel* Punico, *vel* Publico, *vel* Ære publico.

AQ.

Digitized by Google

AQ., *vel* AQL. Aquilius *Nomen*, *vel Aquileia*

AQ. MAR. AQVA. M. NR. Aqua Marcia

AR. ARL. Arelate

AR. *vel* AVR. Aurelius *Nomen*

ARAB. AQVI. *vel* ADQVI. Arabia adcquiſita

ARM. ARMEN. Armenia, Armeniacus

ARMEN. CAP. Armenia Capta

ARA. PAC. Ara Pacis

A. R. P. C. A. Alter Reip. Conſtituendæ Auguſtus

ARR. Arrius *Nomen*

ASI. Aſia, Aſiagenes *cognomen*

AST. Aſtigitana *in Bætica*

AVG. Augur, Auguſtalis, Auguſti, Auguſtus.

AVG. D. F. Auguſtus Divi Filius

AVG. G. AVG. Auguſtus Gener Auguſti *Bimard*.

AVGVST. Auguſtalia, Auguſtalis, Auguſtus.

B

B. Berytus. Bono. Braccara

B. A. Braccara Auguſta *in Luſitania*

BAEB. Bæbius *Nomen*.

BALB. Balbus. *Cognomen*

BARB. Barbatus, *vel* Barbula *Cognomen*

BA-

Digitized by Google

BARBAT. Barbatus
B. A. R. N. A. T. pro B. R. P. NAT. Bono Reip. Nato
BON. EVET. Bonus Eventus
BRIT. Britannicus
BROC. Brochus *Cognomen*
B. R. P. Bono Reipublicæ
BRVN. Brunduſium *in Italia*
B. T. Beata Tranquillitas
BVTHR. Buthrotum *in Epiro*

C

C. Cæſar, Caius *Prænomen* Carthago, Cenſor, Centum, Civis, Clypeus, Cohors, Colonia, Conſultum, Cornelius.
C. A. Cæſarea Auguſta *in Hiſpania Saragoza.* Cæſarea Antiochia, *ut putat Belley, vel* Cæſarea Auguſta; *ut autumat Plellerin, quæ fuit Leſen*, Cæſarea Philippi
C. A. AP. *vel* PA, PATR. Colonia Auguſta Aræ Patrenſis
CABE. Cabellio *in Gallia* Cavaillon.
C. A. BVT. Colonia Auguſta Buthrotum *in Epiro.*
C. A. C. Colonia Ælia Capitolina Hieruſalem *iuxta Vaillant*, *vel* Colonia Auguſta Cæ-

Digitized by Google

C. C. TL. A. Colonia Cæſariana Ilice Auguſta.

C. C. I. B. Colonia Campeſtris Iulia Babba *in Mauritania Tingitana*

CC I B EX CONS. DD. Colonia Campeſtris Julia Babba ex Conſenſu Decurionum

C. C. I. B. DDPVBL. Colonia Campeſtris Julia Babba decretum decurionum publice.

C. C. I. H. P. A. Colonia Concordia Julia Hadrumentina Pia Auguſta *in Africa*: *vel* Colonia Concordia Julia Hadriana Pariana.

C. CIV. *vel* C. CIB. D. D. PVB. Corona Civica, *vel* Cibica data decreto publico

C. C. N. A. Colonia Carthago nova Auguſta *Cartagena in Hiſpania*

C. C. N. C. D. D. Colonia Concordia Norba Cæſareana decreto decurionum. *Alcantara* in Hiſpania. *vel iuxta Pellerin & Florez*

Colonia Cæſarea nova Carthago decreto decurionum.

C. COR. Colonia Corinthus

CC. R. Circenſes Reſtituti, *vel* ducenteſima remiſſa

C. C. S. Colonia Claudia Sabaria *in Hungaria Szombathely*

C. CVP. Caius Cuppiennius *Pronomen*, *& Nomen*.

C. D.

C. D. F. Cæſar Divi Filius
CEN. *vel* CENS. Cenſor.
CE S. PP. Cenſor Perpetuus
CER. SACR. PER. OECVME. ISELA. Certamina ſacra Perpetua (*Harduinus & Iobert*) *vel* Periodica, *vel* Periodonica (*Spanh. & Vaillant*) æcumenica Iſelaſtica. *Vide Bimard.* II. 194.
CERT. QVIN *vel* QVINQ. ROM. CON. Certamina Quinquennalia Romæ conſtituta.
CERT. SAC. Certamina ſacra
C. E. S. Cum exercitu ſuo
CEST. Ceſtius *Nomen*
C. F. Caius Fabius *Prænomen*, *& Nomen*
C. F. C. N Caii Filius, Caii Nepos.
C. F. P. D. Colonia Flavia Pacenſis *Deultor in Thracia*
C. G. I. H. P. A. Colonia Gemella Iulia Hipponenſis Pia Auguſta *Africa, Vaill. & Haym*. Colonia Germe Iulia Hadriana Pia Auguſta *in Helleſponto*, *Harduin*. Colonia Gemella Iulia Hadriana Pariana Auguſta *Belley*
C. G. IVL. H. A. P. Colonia Gemella Iulia Hipponenſis Auguſta Pia *in Africa*, *Vaillant* Hadriana Auguſta Pia *Harduin*. Hadriana Auguſta Pariana, *Belley*

C G. I. P DD. Colonia Gemella Iulia Pia (*vel* Pariana *iuxta Belley*) Decreto Decurionum.

C. I. A. D. Colonia Iulia Auguſta Dertuſa *in Tortosa Hiſpania*

C. I. AV. Colonia Iuli Auguſta *Norba* (*Harduin*) *Nova Horez*, *Cartagena*

C. T. AV. F. SIN. Colonia Iulia Auguſta Felix *Sinope* in *Ponto Aſiatico*

C. I. B. Colonia Iulia Balba *in Mauritania Tingitana*

C. I. C. Colonia Iulia Carthago, *vel* Corinthus.

C. I. C. AA. P. Colonia Iulia Carthago Auguſta Antiqua Pia. *villa Franca de Panades in Hiſpania*, *vel* Colonia Iulia Corinthus Auguſta Antoniana Pia.
vel Colonia Iulia Concordia Auguſta, *Apamea Bythiniæ*, ita *Belley & Pellerin*.

C. I. CAES. Caius Iulius Cæſar *Prænomen*, *Nomen*, *Cognomen*

C. I. CALP. Colonia Iulia Calpe, *Torre* di *Cartagena in Hiſp.*

C. I. F. Colonia Iulia Felix, *vel* Concordia Invicta Felix, *vel* Colonia Prima Flavia *Cæſarea Paleſtina*

C. I. F. S. Colonia Iulia Felix Sinope, *in Ponto Aſiatico*

C. L. I. COR. Colonia Laus Iulia Corinthus

C. L. I. N. AVG. Colonia Laus Iulia Nova Auguſta

CL. V. Clipeus Votivus

C. MALL. Caius Mallolus *Cognomen cum Prænomine*

C. M. L. Colonia Metropolis Laodicea *in Cœleſiria*

C. M. Q. Caius Meſſius Quinctus.

CN. DOM. AMP. Cneus Domitius Amplus. *Prænomen Nomen Cognomen.*

C. N. F. Cnei, *vel* Cnaei Filius *Prænomen.*

CN. MAG. IMP. Cneus Magnus Imperator

CO. DAM. METRO. Colonia Damaſcus Metropolis *in Syria.*

CO. AE. CA. Colonia Ælia Capitolina

COHH. PRAET. VII. P. VI. F. Cohortes Prætorianæ ſeptimum Piæ Sextum Fideles, *vel* Septima Pia Sexta Fidelis.

COH. I. CR. Cohortis primæ Creteníis.

COHOR. PRAE, *vel* PRAET. Cohortes Prætorianæ

COH. PR. Cohors Prætoriana

COH. PRAE. PHIL. Cohors Prætoriana Philippenſium.

COL. AA. PATR. Colonia Auguſta Aroë Patrenſis *Patraſſo*

Digitized by Google

COL. AE. A. HA. MET. Colonia Ælia Augusta Hadrumentina Metropolis *in Africa*

COL. AEL. A. CAP. COMM. P. F. Colonia Ælia Auguſta Capitolina Commodiana Pia Felix. *Hieruſalem*

COL. AEL. HAD. AVG. Colonia Ælia Hadriana Auguſta. *Hieruſalem*

COL. ALEX. TROAS Colonia Alexandrina Troas. *Troia Inſtaurata*

COL. AMAS., *vel* AMS. Colonia Amanſtrianorum *in Paphlagonia*.

COL. ANT., *vel* ANTI. Colonia Antiochia. *Piſidia*

COL. ARELAT. SEXTAN. Colonia Arelate Sextanorum. *Arles in Gallia*.

COL. AST. AVG. Colonia Aſtigitana Auguſta *Eceja in Hiſpania*

COL. AVG. FEL. BER. Colonia Auguſta Felix Berytus *in Paleſtina*

COL. AVG. FIRM. Colonia Auguſta Firma *vel* Aſtigitana. *Ecceja*.

COL. AVG. IVL. PHILIP. Colonia Auguſta Iulia Philippenſis *in Thracia*.

COL. AVG. PAT. TREVIR. Colonia Auguſta Paterna Trevirorum *in Germania*

COL. AVG. TROA., *vel* TROAD. Colonia Auguſta Troadenſis. *Troia*.

COL.

COL. AVR. KAR. COMM. P. F. Colonia Aurelia Karre Commodiana Pia Felix *in Meſopotamia* . *vel* Colonia Aurelia Carneatum Commagene Pia Felix *in Syria* -

COL. AVR. ANTONIANA . AVG. Colonia Aurelia Antoniana Auguſta *Troade*

COL. AVR. P. M. SIDON. Colonia Aurelia Pia Metropolis Sidon *in Syria*

COL. B. A. Colonia Braccara Auguſta *Braga in Luſitania*

COL. BERYT. L. V. VIII. Colonia Berytus Legio Quinta , & Octava

COL. CABE. Colonia Cabellio . *Cavaillon* in Gallia .

COL. CAES AVG. Colonia Cæſarea Auguſta *in Paleſtina* .

COL. CAESAREA. LIB. Colonia Cæſarea Libera *Vaill. vel* Colonia Cæſarea Libani *Pellerin*

COL. CAMALODVN. Colonia Camalodunum *Maldon* in Anglia ,

COL. CASILIN Colonia Caſilinum *Capua Nova in Italia*

COL. CL. PTOL. Colonia Claudia Ptolemais *in Phœnicia* .

COL. CR. PROP. Colonia Cremna *Provinciæ* Piſidiæ

COL.

COL. COR. Colonia Corinthus

COL. ΔAMAS. METRO. Colonia Damaſcus Metropolis *in Syria*.

COL. F. I. A. P. BARC. Colonia Flavia Iulia Auguſta Pia Barcino. *Barcellona in Hiſp.*

COL. FL· PAC. DEVLT. Colonia Flavia Pacenſis Deultor *in Thracia*.

COL. GEM. ACCI. LEG. VI. Colonia Gemella Accitana Legio Sexta *Guadix Granatæ*.

COL. HA. ME. T. Colonia Hadriana Mercurialis Thænitana, *una* ex *Cycladibus Inſulis, forſan Inſula Ferri*

COL. HEL., *vel* LEG. H. Colonia Heliopolis Legio Heliopolis, *vel* Heliopolitana, *vel* Octava *Bimard*, *Pellerin*.

COL. HEL. I. O. M. H. Colonia Heliopolis Iovi Optimo Maximo Heliopolitano *in Syria*

COL. IVL. AVG. CASSAN. Colonia Iulia Auguſta Caſſandria

COL. IVL. AVG. C. I. F. COMAN. Colonia Iulia Auguſta Concordia Invicta Felix Comanorum. *Cappadocia in Ponto*

COL. IVL. AVG. FE. CREMNA Colonia Iulia Auguſta Felix Cremna, *Civitas Pamphiliæ*.

COL. IVL. AVG. FEL. BER. *vel* CAR. Co-

Digitized by Google

lonia Iulia Auguſta Felix Berytus, *vel* Carthago Heliopolis *Paleſtina*.

COL. IVL. AVG. FIRM. Colonia Iulia Auguſta Felix Firma. *Ecceja in Hiſpania*.

COL. IVL. AVG. PHILIP. Colonia Iulia Auguſta Philippi *in Thracia*.

COL. IVL. BER. Colonia Iulia Berytus *in Paleſtina*

COL. IVL. CER. SAC. AVG. FEL. CAP. OEC. ISEHEL. Colonia Iulia Certamen Sacrum, Auguſtum Felix, Capitolinum. Œcumenicum Iſelaſticum, Heliopolitanum. *Heliopolis in Syrophœnicia*

COL. IVL. CONC. APAM. AVG. D. D. Colonia Iulia Concordia Apamea Auguſta Decreto Decurionum *in Bithinia*.

COL. IVL. GEM. ACCI. Colonia Iulia Gemella Accitana *Guadix in Hiſpania*

COL. IVL. PATERN. NARB. Colonia Iulia Paterna Narbonenſis *in Gallia*

COL. IVL. PHIL. Colonia Iulia Philippi *in Thracia*, *vel Macedonia*.

COL. IVL. VAL. Colonia Iulia Valentina *in Hiſpan.*

COL. L. IVL. *vel* COL. LAVS. I. COR. Colonia Laus Iulia Corinthus.

CO. LL. Colonia Laodicea *Pellerin vel* Colonia

nia Lucia Laodicea
COL. L. SEP. Colonia Lucia Septimia, *vel* Colonia Laodicea Septimia.
COL. NEM. Colonia Nemauſus. *Nimes in Gallia*.
COL. NICEPH. COND. Colonia Nicephorium Condita. *Meſopotamia, vel Syria in Meſopotamia*.
COL. PATR. Colonia Patrenſis, *vel* Patricia, *Corduba in Hiſpania Patricia dicta fuit*
COL. P. F: AV. F. CAES. MET. Colonia Prima Flavia Auguſta Felix Cæſarea Metropolis *Paleſtinæ*.
COL. P. FL. AVG. CAES. METR. P. S. P. Colonia Prima Flavia Auguſta Cæſarea, *vel* Cæſarienſis Metropolis Provinciæ Syriæ Paleſtinæ.
COL. PR. F. A. CAESAR. Colonia Prima Flavia Auguſta Cæſarea. *Paleſtina*
COL. PVL. NEAPO. Colonia Pulchra Neapolis *in Syria*
COL. PTOL. Colonia Ptolemais *in Phœnicia*.
COL. R. F. AVG. FL. METROΠ. Colonia Romana Felix Auguſta Flavia Metropolis *Cæſarea*.
COL. ROM. Colonia Romulenſis. *Sevilla in Hiſp.*

COL.

Digitized by Google

COL. ROM. LVGD. Colonia Romanorum Lugdunum. *Lyon in Gallia*

COL. RVS. LEG. VI. Colonia Ruſcino Legio Sexta. *Ruſſillon in Gallia*

COL. SABAR. Colonia Sabaria *in Ungaria prope Szombathely*

COL. SEBAS. Colonia Sebaſte. *in Paleſtina*.

COL. SER. G. NEAPOL. Colonia Servii Galbæ Neapolis *in Paleſtina*.

COL. TRO. Colonia Troas. *Troia Inſtaurata*

COL. V. I. *vel* VIC. CELSA Colonia Victrix Iulia Celſa. *Xelſa in Hiſpania*

COL. VIC. IVL. LEP. Colonia Victrix Iulia Leptis. *in Africa. Lebida*

COL. VIM. ANI. Colonia Viminacium anno primo *Widin in Servia*.

COL. VLP. TRA. Colonia Ulpia Traiana *Varhel in Tranſilvania*.

COM. Commodus.

COM. ASI. ROM. ET. AVG. Commune Aſiæ, Romæ, & Auguſtæ.

COM. IMP. AVG. Comes Imperatoris Auguſti.

COMM. Commodus, *vel* Commodiana. *Titulus Coloniæ*.

COM. CONS Communi Conſenſu.

CONC. Concordia.

CONC. COM. Concordia Commodi, *vel* Communi.

CONGIAR. DAT. POP. Congiarium Datum Populo (*a*).

CONG. P. R. Congiarium Populo Romano PR. primum.

CONG. TER. P. R. IMP. MAX. DAT. Congiarium Tertium Populo Romano Impenſis Maximis Datum.

CONS. SUO. Conſarvatori Suo

CONSTANTINO. P. AVG.B.M.V.N P. R. CI. M. S. P. L. C. Conſtantino Patri Augusti bonæ memoriæ urbis noſtræ perpetuo Rectori Cives municipi ſuo primæ Lugdunenſes Civitates. Harduinus. At vide Bimard T. 2. p. 193.

COOP. Cooptatus.

CO. P. F. CAE. METRO. Colonia Prima Flavia Cæſarea Metropolis *Palæſtinæ*.

C. O. P. I. A. Colonia Octavianorum Pacenſis Iulia Auguſta.

COR. Corinthus, Cornelius *Nomen*.

COS.

(a) *Congiarium proprie erat Vas, quod Congium, ſeu menſuram ſex ſextariorum capiebat: ab initio ex Congio oleum, & Vinum dabatur: deinde hoc nomen ad Largitionem frumenti, & pecuniarum adhibitum eſt.* Vid. obſerv. 30. Schvvarzii ad Panegyr. Plinii.

Digitized by Google

COS. Conſulibus, Conſul. COS. III. *vel* TER. Conſul Tertium.

COS. DES. Conſul Deſignatus.

COS. ITER. ET TER. DESIG. Conſul Iterum, & Tertium Deſignatus

COSS. Conſules.

C. P. Colonia Patrenſis. *Patraſſon Achaia.*

C. PAET. Caius Pætus.

C. P. G. C. A. S. DD. Caio Publio Gavio Caſſio Decurionibus. *Pellerin in præf. ad* 1. *Tom.*

C. P. FL. AVG. F. G. CAES. METR. P. S. R. Colonia Prima Flavia Auguſta Felix Germanica Cæſarea Metropolis Provinciæ Syriæ Paleſtinæ.

C. R. Claritas Reipublicæ.

CRAS. Craſſus *Cognomen, dein Nomen.*

C. R. I. F. S. Colonia Romana Iulia Felix Synope. *In Ponto Aſiatico.*

CRT. Crito *Cognomen.*

C. S. Cives Servatos, *vel* Claritas Sæculi.

C. SACR. FAC. Cenſor Sacris Faciundis.

C. T. T. Colonia Togata *vel* Turrita Tarraco *Tarragona in Hiſpania.*

C. V. Clypeus Votiuus, *vel* Clypeis votivis, *vel*

Digitized by Google

vel Conſul Quintum .

C. VAL. HOST. M. Quintus . Caius Valens Hoſtilianus Meſſius Quintus .

C. VET. LANG. Caio Vettio Languido *Pra-nomen, Nomen, Cognomen* .

C. V. I. C. Colonia Victrix Iulia Celſa . *Xelſa in Hiſpania* .

C. VI. CEL. Caius Vibius Celſus *Pran . Nom. Cognom* . *vel* Colonia Victrix Iulia Celſa .

C. V. I. L. Colonia Victrix Ilice . *Elche in Hiſp.*

C. V. I. N. Colonia Victrix Iulia Norba *Alcantara in Hiſpania* .

CVNB. Civitas Victrix Nobilis . *Aria , Florez.*

CVM. EXER. SVO. Cum Exercitu Suo.

C. V. P. P. Conſul Quintum Pater Patriæ .

CVR. X. F. Curator Denariorum Flandorum . *vel* Curavit Denarium Faciundum.

C. V. T. T. Colonia Victrix Togata , *vel* Turrita Tarraco . *Tarragona in Hiſpan.*

D

D. Dacia . DE. Decimus *Prœnomen* . Decretum Decurio . Deo . Deſignatus . Devotus . Dii . Diuus .

D. *vel* Devl. *Deulton in Thracia*

D. A.

Digitized by Google

D. A. Diuus Auguſtus

